3 2044 106 435 712

Bf
M36.5



Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/dethurisinvetchr1752mart

Q. D. B. V

DE

THVRIS IN VET. CHRIST. SACRIS VSV

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AD D. XXIII. SEPTEMBR. cIɔIɔCCLII

PVBLICE DISPVTABIT

GEORGIVS HENRICVS MARTINI

A. M

TANNENBERG. IN HERMVNDVRIS

RESPONSVRO

CAROLO FRIDERICO MOECKELIO

ANNAEMONTANO

LIPSIAE

EX OFFICINA STOPFFELIA

7696

1752

H. Protonat. Kuj.

1895, May 7.
Arnold Arboretum.

DE
THVRIS IN VET. CHRIST. SACRIS VSV

ΣΥΝΟΨΙΣ

Indicantur Thuris natura, origo, patria, variaeque ſpecies, ac diuerſa nomina, §. I. quo facto docetur, id incenſum eſſe in Sacris Graecorum, §. II. et Romanorum, §. III. aliaque traduntur, qua ſuffituri perſonam, et caerimonias, tempusque huius conſuetudinis, §. IIII. Inde ſimilis deſcribitur Iudaeorum mos, et cuius iuſſu, a quo, quandoque fuerit obſeruatus, exponitur, §. V. ſtatimque additur, eum iam dudum apud ipſos exſpiraſſe, §. VI. Poſitis legibus, qua hiſtoricorum ſilentium, vel contradictionem alteri factam, obſeruandis, §. VII. demonſtratur, Chriſtianos in Sacris ſuis nulla ſuffimenta incendiſſe Sec. I. §. VIII. nec Sec. II. teſte quidem IVSTINO *Martyre, §. VIIII.* ATHENAGORA *et* CLEMENTE *Alexandrino, §. X. nec quoque Sec. P C. N. III. ex teſtimoniis* TERTVLLIANI, *§. XI.* ORIGENIS, *§. XII. et ex thurificatione eius aeui idololatrica, Chriſtianis aeque exitioſa ac odioſa, §. XIII. tandem nec ſub Sec. IIII. initium, ex* ARNOBII *ſententia, §. XIIII. eum tamen morem ſimul introductum eſſe inter reliquos ritus innumeros, Seculo dicto ad finem vergente vſurpari coeptos, §. XV. Hinc refelluntur aduerſariorum argumenta, quibus hunc, de quo agitur, ritum Apoſtolicum eſſe, euincere laborant, §. XVI. in eius veram inquiritur originem, cauſasque tum phyſicas, tum politicam, §. XVII. et oſtenduntur progreſſus, quos in Eccleſia fecit, auctoribus* THEODOSIO, *Iuniore, ac potiſſimum Epiſcopis Romanis, §. XVIII. Quibus confirmatis, thura incenſa fuiſſe docetur, quum funderent preces, §. XVIIII. quum praelegerent Euangelium, §. XX. quum celebrarent S. Coenam, §. XXI. ac Miſſam, quam pro deſunctis vocant, pompasque ſacras, §. XXII. quum Sanctorum, vt aiunt, reliquias honore ſuo mactarent, §. XXIII. Exorciſmo vacarent, §. XXIIII. templa, altaria, et alia vaſa Sacra more ſuo conſecrarent, §. XXV. ac mortuos denique ſepelirent, §. XXVI. Inde qui? et quo ritu? ſuffitum faciant, §. XXVII. et vbi hodienum adhuc vigeat, vbi minus, docetur, §. XXVIII. et XXVIIII.*

§. I.

Expoſituro mihi inſignem Thuris in Sacris incendendi morem, Graecae Romanaeque Eccleſiae, vt medio aeuo, ita et hodie communem, vtile viſum eſt, immo neceſſarium, praefari quaedam de Thuris origine, huiusque in Sacris et Iudaeorum, et Gentilium vſu: quorum illos Numini O. M. hos Diis thura dediſſe, nemo ignorat. Idque eo magis faciendum duxi, quo fidentius, quos euolui Auctores, alios ab illis, alios ab his repetere memini eum, de quo ſcribere decreui, ritum in Sacris Chriſtianis. Quem tamen locum pauciſſimis, non tractare, ſed attingere modo mihi licebit, ne in L. B. patientiam iniurius eſſe videar. Et primo quidem eſt *Thus* illud *Viſcum ex corticibus profluens, ita vt ex amygdalo, ceraſo, lacrymabili deſtillatione coaleſcens a*). PLINIVS hanc ſcriptam dedit Thuris originem: *Meti ſemel anno ſolebat minore occaſione vendendi. Iam quaeſtus alteram vindemiam adfert. Prior atque naturalis vindemia circa canis ortum, flagrantiſſimo aeſtu, incidentibus, qua maxime videatur eſſe praegnans, tenuiſſimusque tendi cortex. Laxatur hic plaga, non adimitur. Inde proſilit ſpuma pinguis. Haec concreta denſatur, vbi loci natura poſcat, tegete palmea excipiente, aliubi area circumpauïta. Purius illo modo, ſed hoc ponderoſius. Quod in arbore haeſit, ferro depectitur. Ideo corticoſum b*). Arbor, cui thus debemus, vocatur *Libanon,* eandemque Arabiae ſolo inſeuit Summi Dei prouidentia *c*): quamobrem TERTVLLIANVS Arabicae arboris lacrymas illud appellare non dubitat *d*). Reperiri autem varia eius genera, PLINIVS auctor eſt *e*), quorum optimum, *Thuris maſculi* nomine inſignitum, in Sacris incendebatur faciundis, teſte VIRGILIO:

Verbe-

a) Sic deſcribit thus ARNOBIVS lib. VII. *adu. Gent.* p. 233. edit. Lugd.

b) *Hiſt. N.* lib. XII. c. 14. p. 663. T. I. edit. Hard. conf. SALMASIVS in *Exercitt. Plin.* p. 500. ſſ.

c) HERODOTVS ſcribit: ἐν ταύτῃ (ſcil. Arabia) λιβανωτός τε ἐστὶ, καὶ μούνη χωρέων πασέων φυόμενος κ. τ. λ. lib. III. c. 107. p. 204. edit. Lond. conf. SALMASIVS l. c. qui Sabam, certam Arabiae prouinciam, alere ſcribit dictam arborem. Ideoque canit VIRGILIVS, *Aen.* lib. I. v. 420. ſ.

- - - *vbi templum illi, centumque Sabaeo*
Thure calent arae, ſertisque recentibus halant.

d) *Apologet.* Cap. XXX. p. 278. edit. Hauercampi.

e) l. c. p. 664. *Quod ex eo rotunditate guttae pependit, Maſculum vocamus. --- Religioni tributum, ne ſexus alter vſurparetur:* conf. DIOSCORIDES lib. I. c. 81. p. 45.

Verbenasque adole pingues, et maſcula thura f).

Quocum conuenire videtur thus illud puriſſimum, Ebraeis לְבֹנָה זַכָּה dictum *g*), variisque Sacris deſtinatum atque reſeruatum negotiis, de quibus alio dicturus ſum loco. Ceterum hoc vnum addere liceat, quod lingua Latina a primaeua ſua munditie recedente, *Incenſi* nomen ſit introductum; vnde modernarum, quas vocant, linguarum voces, quibus thus ſignare ſolent, ſuam traxerunt originem *h*).

§. II.

Quum de Thuris origine ac nominibus, ſatis, vt quidem exiſtimo, ſit diſputatum, fas eſt, vt morem Diis thura dandi, inter eorum cultores quondam viguiſſe, paucis demonſtrem. Omnium autem atque ſingulorum, quos tellus vnquam vidit, populorum omnes, qua ſuffitum, ritus hic tradere nec poſſum, nec ſi poſſim, velim; quum et mei illud non patiatur inſtituti ratio, et de gentibus, Arabiae felici vicinis, nullum ſit dubium, quin in ſuis illud vſurparint ſacris: ſiquidem viri diuinitus acti haud raro id teſtantur, ac de more iſto loquuntur tanquam de re notiſſima *a*). Quapropter meo non male functus videbor officio, ſi de Graecis Romanisque, populis in antiquitate celeberrimis, protulero teſtimonia, vnde eos thura in Sacris peragendis adhibuiſſe, apparebit. De Graecis, Romanos aetate antecedentibus, primum dicendum eſſe videtur: quo vero loco tantum abeſt, vt multa excitare ſcriptorum loca, vt potius vno eorum, quae dixi, veritatem oſtendere, atque rem omnem conficere velim. Extat ille apud ARISTOPHANEM, qui neſcio quem Deum ita conqueſtum fingit:

- - - *ἀφ' οὗ γὰρ ἤρξατ' ἐξαρχῆς βλέπειν*
O Πλοῦτος, οὐδεὶς οὐ ΛΙΒΑΝΩΤΟΝ, οὐ *δάφνην*,
Ου Ψαιστὸν, οὐχ ἱερεῖον, οὐκ ἄλλ' οὐδὲν
Ημῖν *ἐπιθύει τοῖς θεοῖς b*).

 Vnde

f) *Eclog.* VIII. v. 65.

g) *Leu.* XXIIII, 7. conf. SCHINDLERI *Lex. Pentagl.* ſ. v. לבן p. 921.

h) v. du FRESNE in *Gloſſ.* ſ. v. *incenſum.* Hinc manat Italorum *Incenſo*, Anglorum *Incenſe*, Gallorum *Encens.* Germanorum vero Weyhrauch parem cum vocibus Weyhnachten, Weyhwaſſer, cet. habere originem, quis eſt, qui non perſpiciat?

a) *1. Reg.* XI, 8; *2. Reg.* XVI, 3. 4; XVII, 11; *2. Paralip.* XXVIII, 3. 4. conf. *1. Macc.* I, 58; II, 15.

b) in *Plut.* v. 1114. ſſ. p. 46. it. in *Nube* v. 425. p. 77. edit. Kuſter. conf. PORPHYRIVS de *Abſtinentia*, lib. II. p. 148. edit. Lugd.

Vnde ſequitur, vt, quos ob neglectam Thuris incenſionem legimus reprehenſos, eam antea vſurparint Graeci. Haec enim querela recte locum habere non poterat, ea vel nunquam introducta, vel non neglecta conſuetudine. Idemque nos docet *Alexandri M.* vetuſto Macedoniae more ſacrificantis exemplum, ante quem nobiliſſimus quidam puer *Thuribulum* tenens, adſtabat, qui carbone ardente in brachio ſuo delapſo, dolorem, quem ſentiebat vehementiſſimum, ſilentio tamen preſſit, brachiumque immobile tenuit, ne thuribulum concuteret arreptum, Regisque impediret ſacrificium *c*).

§. III.

De Graecis ad Romanos delatus iterum haud opus eſſe duco, Thuris in horum Sacris vſum multis demonſtrare verbis, maxime quum praeter alios rituum Romanorum Scriptores, IO. B. CASALIVS *a*) et SIGB. HAVERCAMPVS *b*) eum ſatis oſtenderint. Ne tamen plane *ἀσύμβολος* hinc diſcedam, rem iſtam e LIVIO confirmabo. Sic autem ille: *Eo anno* (nimirum V. C. CCCCLVII.) *publice vinum ac* THVS *ſacrificiis praebitum c*). Et vbi caerimonias exponit, quae, quum Mater Idaea Romae acciperetur, obſeruatae erant, his vtitur verbis: *Eae* (Matronae primores ciuitatis) *per manus ſuccedentes deinceps aliae aliis, omni effuſa ciuitate obuiam,* THVRIBVLIS *ante ianuas poſitis, qua*

c) V. VALER. MAX. Lib. III. cap. 3. conf. IO. PHIL. PFEIFFERI *Antiquitt. Graec. Gent.* lib. I. cap. 10. et IO. POTTERI *Archaeol. Gr.* Or: *The Antiquities of Greece,* T. I. Lib. I. PHILOSTRATI in *Vit. Apollon.* lib. I. Cap. 31. p. 39. ſ. edit. Lipſ. locum ſilentio tranſire non poſſum, his conceptum verbis: Καὶ δραξάμενος (Apollonius regis cuiusdam magnifica quidem, at cruenta tamen, ſacrificia aſpernatus) τοῦ λιβανωτοῦ, ἥλιε, ἔφη, πέμπε με ἐφ᾽ ἴσον τῆς γῆς ἐμοί τε καί σοι δοκεῖ· καὶ γινώσκοιμι ἄνδρας ἀγαθὲς· Φαύλες δὲ μή τε ἐγὼ μάθοιμι, μή τε ἐμὲ φαῦλοι. Καὶ εἰπὼν ταῦτα, τὸν λιβανωτὸν εἰς τὸ πῦρ ἧκεν. ἐπισκεψάμενός δε αὐτό, ὅπῃ διανίςαται, καὶ ὅπῃ θολοῦται, καὶ ὁπόσαις κορυφαῖς ἄττει, καὶ ὅπῃ. Ad quae vltima verba conferri merentur, quae Excellent. OLEARIVS de λιβανομαντείᾳ obſeruauit.

a) de *Profan. Rom. ritibus,* Cap. XV. p. 86.

b) in Comment. ad TERTVLL. *Apolog.* Cap. XXX. p. 277.

c) lib. X. c. 23. Idque eo tempore per *Xviros ſacris faciundis* videtur factum, quoniam, aucto hoc collegio ad numerum quindenarium, ſubſequenti tempore et praeſertim in Lud. Sec. XVviros id feciſſe videmus ex numo DOMITIANI, in quo Imperator XVvir in ſuggeſtu ante templi porticum vaſa duo ante pedes habet, ex quibus ſuffimenta petentibus largitur, vt ex notis numi intelligitur, in quo ſcri-

qua praeferebatur, atque incenſo THVRE, *precantibus, vt volens propitiaque vrbem Romam iniret, in aedem Victoriae pertulere Deam d).*

§. IV.

Iam, quum neque Graecos, neque Romanos Thuris vſum in Sacris ignoraſſe, oſtenſum ſit, quid mos, in quo explicando verſor, ab illis exegerit, paullo curatius eſt anquirendum. Nimirum Sacerdotes, aut qui Sacerdotum munere ſaepe fungebantur Reges *a*), ſacrificaturi, thura vel accenſo immittere foculo *b*), vel in thuribulis, vt iam dixi, adolere ſolebant: ita tamen, vt, qui faciebant ſacra, pauca admodum eius grana, tribus, ex Thuris *acerra*, Graecis θυμιαματήριον dicta, digitis ſumta, focis vel thuribulis immitterent. Docet hoc NASO ita canendo:

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit c).

Clarius autem ARISTOPHANES, his quidem verbis:

Ὑπὸ τοῦ δὲ τὴν ψῆφόν γ' ἔχειν εἰωθέναι,
Τοὺς τρεῖς ξυνέχων τῶν δακτύλων, ἀνίσταται,
Ὥσπερ ΛΙΒΑΝΩΤΟΝ ἐπιτιθεὶς νουμηνίᾳ *d*).

Hinc euenit, vt tum Gentiles ipſi, e. g. LVCIANVS *e*), tum Patres Chriſtiani, TERTVLLIANVS *f*), LACTANTIVS, HIERONYMVS, alii, eam falſe perſtringerent conſuetudinem. Quo vero tempore vterque populus Deos thure placare coeperit, conſtituere nec volo, nec poſſum etiam, ob miram Auctorum ſuper hac re diſſenſionem. PLINIVS enim, *Quis primus inuenerit*, ait, *non traditur: Iliacis temporibus non*

ptum: PONT. MAX. XVvir. LVD. SAEC. ſub tribunali SVF. P. D. h. e. ſuffimenta populo data. v. I. G. GRAEVII *Theſ. Antt. Rom.* T. V. p. 104.

d) lib. XXVIIII. c. 14.

a) v. POTTER l. c. lib. I c. 2 p. 7. T. I. edit. Angl. et SOUTH's *Sermons* T. I. p. m. 139. vbi ita ſcribit: *If You look upon well regulated civilized Heathen Nations, You will find the Government and the Prieſthood united in theſame Perſon: Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique Sacerdos. If under the true Worship of God, Melchiſedeck King of Salem, and Prieſt of the moſt high God.* conf. LIV. lib. I. c. 20. lib. II. c. 2.

b) TIBVL. lib. II. El. 2. v. 4. ſ. et OVID. *Faſt.* lib. I. v. 159. ſ. lib. IIII. v. 334. et alibi.

c) *Faſtor.* lib. II. v. 573. TIBULL. lib. IIII. Eleg. I. v. 14. ſ.

d) in *Veſp.* v. 94. ſſ. p. 284. edit. laud. Huc inprimis faciunt, quae Scholiaſtes obſeruat. Namque ſcribit ad priora verba: Τούτοις γὰρ κατέχουσι τὰς ψήφους οἱ δικασταί· τῷ μεγάλῳ, καὶ τῷ λιχανῷ, καὶ τῷ μέσῳ. Ad poſteriora: Κατὰ νουμηνίαν γὰρ ἔθος εἶχον λιβανωτοὺς ἐντιθέναι τοῖς ἀγάλμασι. Haec magis confirmat FLORENS Chriſtianus in not. ad h. l. quae extant p. 129. edit. laud.

e) in *Aſino*, p. 122. et *Ioue Tragoedo*, p. 200.

f) *Apologet.* c. 30. conf. HAVERCAMP.

non erant, nec THVRE *ſupplicabatur g*). In eandem NASO loquitur ſententiam, primorum temporum in celebrandis Sacris ſimplicitatem ita deſcribens:

Ante, Deos hominis quod conciliare valeret,
Far erat, et puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas,
Acta per aequoreas hoſpita nauis aquas.
THVRA *nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,*
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui poſſet violas addere, diues erat h).

Alio tamen loco, ſuffitum *Romuli* aeuo iam iam vſurpatum, ſaltem ab eo inſtitutum fuiſſe, innuere videtur. Illum enim ad Superos, vt fabula erat, abeuntem haec *Iulio Proculo* dixiſſe ſcribit:

THVRA *ferant, placentque nouum pia turba Quirinum i*).

Sed neque hoc largiri vult ARNOBIVS: Romulum enim et Numam, quem in comminiſcendis religionibus artificem appellat, *Thura* aut eſſe, aut naſci, ignoraſſe perhibet *k*). Vtri autem potiſſimum fides habenda ſit, aliis diiudicandum relinquo, alia eademque certiora orſurus.

§. V.

Nimirum iam dicendum eſt ac demonſtrandum, *Thura* in ſacris incendendi morem, vt Deorum, ita et veri Numinis cultoribus, Iudaeis ſcilicet, fuiſſe vſitatum. Quo loco, breuitati, quoad fieri poteſt, conſulturus, non niſi de auctore et occaſione illius exercendi ritus, quaedam monebo. Deus O. M. quemadmodum totius Leuitici cultus extitit auctor, ita et lege ſanxit, vt nonnullis *Thura* adiicerentur ſacrificiis *a*). Cui legi vt obtemperare poſſent Sacerdotes, Iudaei praeter ſacrificia diuinitus conſtituta, etiam *thuris* grana, variis vſibus deſtinanda, offerre iubebantur. Purum ſeu prae-

in not. ad h. l. p. 277. ſ. vbi Patrum Eccleſ. varia excitauit loca.

g) *H. N.* lib. XIII. c. I. p. 679. T. I. edit. Hard.

h) *Faſt.* lib. I. v. 337. ſſ.

i) ibid. lib. II. v. 507.

k) *Adu. Gentes* lib. VII. p. 131. edit. Lugd. conf. IS. VOSSIVS ad *Catull.* p. 269. qui a TVRNEBO ſuper hoc loco diſſentit.

a) *Exod.* XXX, 7. 8. 20. 34. *Leu.* II, 1. 2. 16; XXIIII, 7.

praeſtantiſſimum, Moſi לְבֹנָה זַכָּה appellatum, §. I. praeter alias aromatum ſpecies, in thymiamatis compoſitionem ingrediebatur; id quod a Summo Pontifice erat miſcendum, ſolique Deo Summo adolendum *b*). Idem ſacrificiis, quae dicuntur Oblationis, adderetur oportebat *c*), quanquam et nonnulla huius generis eodem carerent, vt obſeruatum eſt LVNDIO *d*). Adiiciebatur praeterea לַלֶּחֶם לְאַזְכָּרָה *e*) ſiue לֶחֶם פָּנִים *f*) in patera aurea: vbi tamen auctorum maxime inter ſe differunt ſententiae, quando locum verum, quo iſta cum *thure* ei indito fuerit collocata, certo definire debent *g*). Quae lis, quamuis adhuc ſub iudice ſit, tamen res ipſa, *thus* purum, ſeu maſculum, panibus facierum iam iam dictis additum fuiſſe, extra omnem poſita eſt dubitationis aleam, auctoribus et Sacris et profanis eam ſatis confirmantibus. Quamobrem, vt qui, et quando thus incenderint, oſtendamus eſt neceſſe. Huius grana vel mera, vel thymiamati immiſta, tum ſummus Pontifex, tum reliqui minorum gentium Sacerdotes cremabant. Ille nimirum, quem reliquis diebus vel facere, vel omittere ſibi licebat *h*), non poterat, quin die expiationis magno, thuribulo in Sanctum Sanctorum illato, cieret ſuffitum *i*): horum vero vnus, ſorte quidem deſignatus *k*), thymiama quotidianum, mane et veſperi offerendum *l*), altaris,

b) *Exod.* XXX. 34-38. conf. MELCH. LEIDEKKER. de *Rep. Hebr.* lib. XI. c. 3. p. 626. et M. DAN. WEYMARVS in *Diſſert. de ſuffitu aromatico* Cap. I. §. 6. qui totum hunc locum, qua Iudaeorum ſacra, copioſe pertractat.

c) קָרְבַּן מִנְחָה *Leu.* II. 1. 2. 15.

d) in den Jüdiſchen Heiligthümern, lib. III. c. 39. p. 590.

e) *Leu.* XXIIII. 7.

f) *Exod.* XXV. 30.

g) IO. LIGHTFOOT in *Spicileg. in Exod.* Sect. XXXVIIII p. 183. T. II. opp. edit. Roterod. ſcribit: *Superne vtrumque ordinem ſex placentarum duae aureae patinae inuerſae tegebant, et ei impoſita erat patina aurea, cum thure ei indito.* LVNDIVS multas alias et Iudaeorum et Chriſtianorum excitat ſententias, quas videſis l. c. p. 127.

h) *Exod.* XXX. 7. 20. v. LVNDIVS l. c. p. 544.

i) *Leu.* XVI. 12. 13. v. LIGHTFOOT lib. *de Miniſterio templi Hieroſolymit.* Cap. XXV. p. 744. T. I. Opp. Miſchnicis et aliis Iudaeorum ſcriptoribus ſi fides eſt habenda, poſuit P. M. templo poſteriori florente, thuribulum in ſanctiſſimum adytum illatum, ſuper אבן שתיה ſ. lapidem fundationis, tres digitos ſuper reliquos eminentem, arcamque foederis quondam ſuſtinentem, de quo v. HASAEVS in Diſſ. de אבן שתיה ſ. *lapide fundationis* et IO. IAC. HVLDRICVS, Pat. in *Gentili obtrectatore* C. 4. p. 103. ſſ.

k) v. praeter Auctores laudatos PIERRE IURIEU dans *l'hiſtoire critique des Dogmes et des cultes.* P. II. c. 6. p. 322. ſ.

l) *Exod* XXX. 7. 8. 19. 20; *Deut.* XXXIII. 10; *Luc.* I. 29. conf. IOSEPHI *Antiquitt. Iud.* lib. III. c. 8. p. 161. T. I. Opp.

altaris, quod ſuffitus, vel aureum vulgo dicitur, foculo immittebat: quod tamen non faciebat, priusquam pulſato τῷ מגרפה *m*) praefectus miniſterio, iam offerendum eſſe, alta indixerat voce *n*). Et thus quidem vna cum ſacrificiis *Oblationis* apportatum, omne accipiebant Sacerdotes, quo illud ſale, oleo, atque farre mixtum igni darent, nihilque eius relinquerent *o*): quod autem *panibus facierum* erat additum, ibi manebat, donec his ſublatis, recentes cum recenti apponebantur thure: quo facto, ſale commiſtum ſacrificii matutini tempore igni tradebatur *p*).

§. VI.

Quae de Thuris in Iudaeorum Sacris vſu diſputata ſunt, loco, quem tractare decreui, illuſtrando ſufficere poſſent, niſi hoc vnum adhuc monendum eſſe exiſtimarem, quod templo Hieroſolymitano poſteriori, vt Seruator noſter O. M. praedixerat *a*), deuaſtato, reliquisque ceſſantibus ſacrificiis, Thuris etiam vſus non potuerit non ſimul exſpirare. Illuſtre illud DANIELIS de LXX. hebdomadibus oraculum *b*), quibus elapſis finem videre debebant ſacrificium et oblatio, זֶבַח וּמִנְחָה etiam hac parte exitu comprobaretur oportebat. Equidem varios interpretes de vi atque valore ſacrificiorum Leuiticorum, Chriſto in crucem acto, exſpirante ea intelligere verba, non ignoro: tamen, ſi quid iudicare valeo, haud incommodum erit, ſi de ipſa eorum antiquatione explicueris: praeſertim quum et quae ſubſequuntur verba, quae omnium conſenſu, vel Chriſto ipſo praeeunte, de Hieroſolymarum agunt excidio *c*), idem docere videantur. Atque euentus ipſe rem ſatis confirmauit. Nempe Romanis vrbem adhuc oppugnantibus, iuge ſacrificium, magno populi Iudaici dolore defecit, quod IOSEPHVS his deſcribit verbis: Αὐτὸς δὲ (ſcil. Titus) *τὸν Ἰώσηπον παραστησάμενος· ἐπέπυστο γὰρ ἐπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας, Πανέμȣ δ' ἦν ἑπτακαιδεκάτη, τὸν ἐνδελεχισμὸν καλȣ́μενον, ἀνδρῶν ἀπορίᾳ διαλελοιπέναι τῷ Θεῷ, καὶ τὸν δῆμον ἐπὶ τȣ́τῳ δεινῶς ἀθυμεῖν κ. τ. λ.* *d*). Templo etiam ipſo breui poſt funditus euerſo, et Sacerdotibus, Titi iuſſu, maximam partem interfectis

m) Ita appellabatur inſtrumentum, quo companae loco vtebantur.

n) conf. LIGHTFOOT, LEIDEKKER et WEYMAR ll. cc.

o) *Leu.* II. 2. 13. 15. 16; VI. 14. ſ. conf. LVNDIVS l. c. p. 590.

p) v. LVNDIVS l. c. p. 127.

a) *Matth.* XXIIII. 1. 2; *Marc.* XIII. 1 2.

b) Cap. VIIII. 27. conf. LEIDEKKER l. c. p. 624.

c) *Matth.* XXIIII. 15. *Marc.* XIII. 14.

d) de *Bello Iud.* lib. VI. c. 2. p. 373. T. II. Opp.

ctis *e*), fieri non potuit, quin publicus Iudaeorum cultus, ſacrificia et ſuffimenta, vt hodie cernimus, penitus abrogarentur *f*).

§. VII.

Oſtenſum eſt hactenus, quasnam Thus in Sacris et Paganorum et Iudaeorum faciendis, habuerit partes, quaeque eius incendendi fuerit ratio: iam ad meum inſtitutum propius erit accedendum. Placet autem, quoniam omnis diſputatio de re quadam olim geſta, futura eſt, ex Scholis eorum, qui artis hiſtoricae praecepta tradunt, nonnulla repetere, atque ante definire, quid ſentiendum ſit nobis atque ſtatuendum, ſi quem ſcriptorem vel ſilere ea, vel eis contraria adferre deprehendamus, quae alii, literis conſignata tradiderunt poſteris: quod a me indicatum diiudicatumque nemo mirabitur: omnis enim, quae a viris prudentibus ſuſcipitur de aliqua re dubia quaeſtio, debet certis quibusdam legibus ac principiis niti, vt intelligatur, quae ſit via, quam in eiusmodi lite feliciter componenda, tuto ſequi poſſimus. I. Et primo quidem omnium negari nequit, merum ſcriptorum ſilentium ſaepius ita eſſe comparatum, vt nihil exinde effici queat, pro re, quae in dubium venit, vel affirmanda, vel inficianda. Quoniam enim hiſtorici omnes, aeque ac reliqui mortales, ingenio praediti ſunt limitibus circumſcripto, ideoque hoc illudue factum, aut nonnullas, quae ſunt cum eo coniunctae, res ignorare poſſunt, vel denique, vbi animum ad ſcribendum adpulerunt, boni Homeri inſtar aliquando dormitare; quis eſt, qui non perſpiciat, his etiam, inſciis licet inuitisque euenire poſſe, vt non ſatis curate et copioſe ſingula deſcribant? Quocirca eos bene praecipere ſentio, qui ex mero eius, quem quidem magni facimus, auctoris ſilentio vetant quicquam vel inficiari, quod ab aliis traditum, vel adſerere, quod negatum reperitur. Mutatur autem rei facies, ſi quid ab auctore de induſtria diſſimulatum eſſe videtur. II. Nimirum incidit ſaepe hiſtoria, quae maxime quidem

e) V. IOSEPH. l. c. p. 391.

f) V. LEIDEKKER l. c. vbi extant vota, quae Iudaei pro iterandis faciunt ſacrificiis. Iuuabit quaedam ex IAC. BASNAGE *Hiſt. Iud.* huc tranſcribere verba: *La ruine du temple, qui étoit le ſeul lieu, où les Juifs pouvoient offrir des Sacrifices, rendoit le culte de leur Religion impraticable. Depuis que le Temple fut ruiné, ils ſont demeurez ſans ſacrifice, ſans autel, ſans Ephod.* T. II. Liv. IIII. chap 3. p. 21. Iudaeorum, quod *Iuliano* τῷ Ἀποςάτῃ, cur non amplius ſacrificarent? interroganti dederunt reſponſum, non minus huc facit, his quidem conceptum verbis: *Qu'il ne leur étoit permis de le faire, qu' à Jeruſalem, et dans le Temple; qu' ainſi, s'il vouloit, qu'ils offriſſent des Sacrifices à Dieu, il falloit, qu'il leur rendit leur ville, et qu'il retablit leur Temple.* ibid. p. 13. ſ.

commemoranda foret Scriptori bono, eique quem fide dignum ducimus, ſed quae, ſi, prout geſta eſt, exponeretur, eum in ſummum vitae adduceret periculum, ſin autem alio depingeretur colore, quam re vera facta eſt, fidei hiſtoricae iacturam ei minitaretur: vt, mandare chartis ea, quae perſonam in illuſtri loco poſitam laedere poſſe videntur: quod vt effugiat, ſibique nec veritate odium, nec fraude tradita impoſtoris nomen contrahat, conſultiſſimum cenſet, eiusmodi res odioſas celare potius, quam immeritis falsisque extollere laudibus. Cuius generis ſilentium, tantum abeſt, vt hiſtoriae, ab aliis auctoribus fide dignis commemoratae, opponi, eiusque veritatem infirmare queat, vt potius illi confirmandae quodammodo inſeruiat, maxime quum cauſam eius grauiſſimam prudentiſſimamque in promtu eſſe cernamus. III. Similis eſt ratio ſilentii ex partium ſtudio, alioue compendio oriundi, quo eiusmodi praeteriit res geſtas, quas vel ſibi, vel ſectae, cuius partes in ſe ſuſcepit defendendas, aduerſari credidit auctor. Quod vt huic nullo modo laudi cedere poteſt, ita nec veritati, ab alio traditae, officere. Quare nullum eſt dubium, quin aliorum, quibus quidem fidem habere licet, vnanimis auctorum conſenſus plus valeat, plusque ponderis habeat, quam duplicis, quod dixi, generis ſilentium, et poſſit illorum facile arguere vel prudentiam, vel partium ſtudium, totumque, de quo dubium ſubortum erat, conficere negotium. IIII. Verum enim vero ſi factum, memoratu dignum, ab Auctore antiquo, induſtria fideque claro, videamus praetermiſſum, nec adiunctum ei loco, quem copioſiſſime tractat, quoque eius non poſſit non facere mentionem, tunc veri inueſtigatio non perdifficilis eſt: ſed intelligendum, vbi recentiores prioribus illud tribuant Seculis, veritatem ab horum partibus ſtare non poſſe, et maxime quidem, quum, vt ſuam iuuent ὑπόθεσιν ſuisue ſuccurrant commodis, id facere videantur. V. Reſtat alia quaeſtio, quae, quid tunc ſentiendum ſit, exponere debet, vbi ſcriptor probus, factum, qualecunque etiam ſit, non praetermittat tantum, verum etiam ipſi aduerſetur, illud improbet, cauſasque cur neget, culpetue in medium proferat grauiſſimas. Quod ſi rem ita, vt modo dixi, ſe habere cernamus, certe neminem futurum puto, qui eius ſententiam ſuam facere, eoque duce factum negare dubitet, etſi vel ſexaginta, qui eum excipiunt, et quorum intereſt, vt id faciant, ſcriptores in alia omnia abeant, eamque rem auctoris aeuo, nolit, velit, tribuant. Atque haec meo, quod cepi, conſilio ſufficiant de hoc loco diſputata. Ea autem omnia

non

non docere, ſed Geometrarum more poſtulare volui, vt mihi concedantur, quo facilius, quae velim, explicare queam.

§. VIII.

Quibus non ſine cauſa praemiſſis, ad prima Chriſtianae aerae tempora redire animus eſt, vt locum, de quo ſcribere decreui, rite pertractare poſſim. Quod ſi mecum feceris, faciemque, quam tunc temporis habebat Eccleſia, cum cura conſideraueris, nil, niſi maximam rituum et paucitatem obſeruabis et ſimplicitatem. Chriſti legati in id vnum intenti, vt ſaluberrima de IESV in crucem acto dogmata mortalibus pura atque incorrupta praedicarent *a*), caerimoniarum vel prorſus nullam, vel admodum exiguam habere ſolebant curam ac rationem. Omnibus, qui illa erant amplexi, plenam et perfectam, quoad externa, et *ἀδιάφορα*, quae ſalutem aeternam, eiusque fundamentum haud attingere viſa ſunt, largiebantur libertatem. Cultus Leuitici ritibus, quos *ζυγὸν, ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν, οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι*, Petrus appellat *b*), et quorum nulla erat amplius cauſa, nulla vis, CHRISTI ſacrificio in cruce oblato *c*), illis, inquam, abrogatis, eiusmodi ſaltem leges tulerunt, quae eis conuenire videbantur temporibus, omnesque ad *εὐταξίαν*, Chriſtianis coetibus dignam, adducere poterant debebantque *d*). Et quum alii inter Iudaeos, alii vero inter Deorum cultores diſperſi degerent, illis nonnullos Iudaeorum ritus, e. g. qua preces, earumque horas *e*), his vero aliquos ex Ethnica diſciplina mores, qua externa, quaque fas erat, ſeruare licebat *f*), ne quam criminandi occaſionem ſuppeditarent CHRISTI veneratores. Atque vt nonnullorum faciam mentionem, quos Apoſtoli introduxerunt mores, appellandae ſunt mihi *Agapae ſolemnes g*), *bonorum communio h*), *manuum frequens impoſitio i*) cet. Sed ſuffitus ab Apoſtolis, horumque diſcipulis vel inſtituti vel

 vſur-

a) 1. *Cor.* II. 2; 2. *Tim.* I. 13; II. 2. 8. Largitur hoc ipſe du PIN dans *la Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques*, T. I. p. 224.

b) *Act.* XV. 10.

c) *Gal.* IIII. 3. 9. 10; V. 1. ſſ. *Col.* II. 14. 16. 17. *Ebr.* X. 1.

d) 1. *Cor.* XIIII. 40. *Rom.* XII. et XIII. *Gal.* V. 16. ſſ.

e) *Act.* III. 1; XVI. 3; XXI. 24. 26. conf. GEORGE HOOPER 's *Diſcourſe concerning Lent.* P. II. c. 10. vbi multis hac de re agit.

f) 1. *Cor.* VIIII. 20. 21; X. 27. conf. FRID. SPANHEM. *H. E.* Sec. I. p. 556. ſ. T. I. opp.

g) *Act.* II. 42. 46. 47. 1. *Cor.* XI. 21. coll 35.

h) *Act.* II. 44; IIII. 32-34.

i) *Act.* VI. 6; *Act.* VIII. 17; VIIII. 12. 17; 1. *Tim.* V 22 conf SPANHEMIVS l. c. et CHR. MATTH. PFAFFIVS in *Inſtitt. H. E.* Sec. I. cap. III. §. 2. p. 17.

vſurpati publicis in ſacris, plane nulla cerno veſtigia. Sunt quidem, qui ea ibi extare aiunt: ſed gratis, ac ſine vllo teſte fide digno: id quod deinceps videbimus, et egregie euictum eſt a Cl. HENRICO DODWELLO in Epiſtola ad amicum, de thure in Anglicanae Eccleſiae ſacris abrogato conquerentem, ſcripta *k*).

§. VIIII.

Secundo A C. N. Seculo eadem, quae primo, qua morum ſanctitatem, ſimplicitatemque rituum, ac diſciplinae ordinem, contigit Eccleſiae felicitas *a*). Apoſtolici, vt dicuntur, viri ſub eius initium adhuc ſuperſtites quae ſimpliciſſime a CHRISTI Legatis tradita didicerant dogmata, poſteros pari modo docebant: quod conſeruandae veritatis Euangelicae, eiusdemque incontaminatae, ſtudium coniunctum erat cum ſingulari morum caſtitate; cui non poterant, quin omnem nauarent operam, Traiano aliisque Imperatoribus, crudeliſſime atque atrociſſime in Chriſtianos, horrendorum facinorum *b*) perperam accuſatos, ſaeuientibus *c*). Quae

quum

k) Liber ita Anglice inſcribitur: *A Diſcourſe concerning the Uſe of Incenſe in Divine Offices. Wherein it is proved, that this Practice taken up in the Middle-Ages both by the Eaſtern and Weſtern Churches, is notwithſtanding an Innovation from the Doctrine of the Firſt and pureſt Churches, and the Traditions derived from the Apoſtles. Serving alſo to evince, that even the Conſent of thoſe Churches of the Middle-Ages is no certain Argument, that even the Particulars wherein they are ſuppoſed to conſent, were faithfully derived from the Apoſtles, againſt the modern Aſſertors of the Infallibility of Oral Tradition. In a Letter to a Friend by* HENRY DODWELL *M. A.* London 1711. Sed quia Epiſtola Anglice ſcripta mihi ad manus non eſt, verba Diarii Literarii, quod *Bibliotheca Anglicana* inſcriptum ſatis eſt eruditis cognitum, huc tranſcribere lubet: *Par la loi de Dieu l' Encenſement n' etoit point permis ailleurs, que dans le Temple; on n' en faiſoit point, et l' on ne devoit point en faire dans les Synagogues, et cette partie du ſervice Divin ne pouvoit être faite, que par des Levites de naiſſance, Exod. XXX. 37. 38. Cela rendoit la choſe impraticable dans les Egliſes Chrétiennes, qui avoient ſuccedé en quelque maniere aux Synagogues des Juifs; et d' ailleurs comment auroit-on pû y faire legitimement ce que les ſeuls Levites avoient droit d' executer? Il falloit une nouvelle Loi de Dieu pour étendre le privilege de l' Encenſoir aux Eveques et aux autres Eccleſiaſtiques Chrétiens, qui ne deſcendoient pas de la tribu de Levi. Mais il ne paroit point de Loi ſemblable, ſi ce n' eſt que l'on donnât ce nom au 3. Canon de ceux, que l' on attribue fauſſement aux Apôtres, et dont le Recueil n' eſt proprement que le dernier Chapitre des Conſtitutions Apoſtoliques ouvrage poſterieur de pluſieurs ſiecles au tems de la Revelation. v. Bibl. Angl.* T. VI. p. 10.

a) conf. SPANH. *H. E.* Sec. II. p. 602. T. I. Opp.

b) conf. PFAFF. l. c. p. 50. vbi varia ex ſcriptoribus adfert crimina, quorum inſimulabantur Chriſtiani.

c) v. HORNEIVS in *Compend. H. E.* Lib. I. c. 1. 3. et 4. et PFAFF. l. c. p. 51.

quum ita eſſent, in illa temporum miſerie neque de templorum, baſilicarum, altariumue ſtructura *d*), neque de rituum, quo et Thuris vſus pertinere videtur, in ſacris magnificentia cogitare poterant; id quod eius aeui ſcriptores ſuo ſatis confirmant ſilentio. Elegans et illuſtris eſt IVSTINI Martyris locus, quo Eccleſiae λειτουργίαν, ſuo tempore vſitatam copioſe deſcribit, at ſuffitus ne verbo quidem iniicit mentionem. Sic autem ille: *Καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται· ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν· καὶ, ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ· καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως, καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν. Καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι, κ.τ.λ.* *e*). Quis, quaeſo, vllum Thuris aliusue Incenſi vſum hoc offendit loco? Quantum equidem perſpicere poſſum, illius neque vola, vt aiunt, neque veſtigium ibi extat: et quum ea, vt monui, verba Eccleſiae Liturgiam deſcribere debeant, ſuffitum autem ne commemorent quidem, haud leuem de illo ritu dubitandi cauſam habere mihi videor, §. VII. n. 4.

§. X.

At enim vero Chriſtiani Scriptores, eo aeuo degentes, non ſolum ſilentio tranſeunt, ſed, quod maius eſt, improbant etiam morem ſuffimenta in Sacris faciundis incendendi, ſuosque aduerſarios ideo falſe perſtringunt. Id quod declarat locus quidam ATHENAGORAE elegantiſſimus, quem et IO. DALLAEVS *a*), et M. CHR. HENR. BROEMELN *b*) excitat, quo *Ἀπολογήτης* noſter Ethnicis, Chriſtianos ideo, quod Deo non ſacrificarent, calumniantibus, haec reſpondet in *Legatione pro Chriſtianis:* *Καὶ πρῶτόν γε περὶ τοῦ μὴ θύειν· ὁ τοῦ δὲ τοῦ παντὸς δημιουργὸς καὶ πατὴρ οὐ δεῖται αἵματος, οὐδὲ κνισσῆς, οὐδὲ τῆς ἀπὸ*
τῶν

d) V. MIN. FELIX in *Octauio* p. 91. ſ. edit. Lugd. 1672. conf. *Wowerius*, *Elmenhorſtius*, *Ouzelius* in not. ad h. l. et IO. DALLAEVS de *Cult. relig. Obiecto*, Lib. I. c. 12. p. 129. ſ.

e) *Apolog.* II. ad Antoninum Pium p. 98. ſ.

a) l. c. lib. II. c. 15. p. 265. ſ.

b) in Diſſ. *de Thuris vſu in Funeribus et Sacris reliquis Vet. Chriſt.* Ien. 1687.

τῶν ἀνθῶν καὶ θυμιαμάτων εὐωδίας, αὐτὸς ὢν ἡ τελεία εὐωδία, ἀνειδεὴς καὶ ἀπροσδεής. Ἀλλὰ θυσία αὐτῷ μεγίστη, ἂν γιγνώσκωμεν, τίς ἐξέτεινε καὶ συνεσφαίρωσε τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὴν γῆν κέντρου δίκην ἥδρασε, τίς συνήγαγε τὸ ὕδωρ εἰς θαλάσσας, καὶ διέκρινε τὸ φῶς ἀπὸ τοῦ σκότους - - - ὅταν ἔχοντες τὸν δημιουργὸν Θεὸν συνέχοντα καὶ ἐποπτεύοντα ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ, καθ' ἣν ἄγει τὰ πάντα, ἐπαίρωμεν ὁσίους χεῖρας αὐτῷ, ποίας ἔτι χρείαν ἑκατόμβης ἔχει; τί δέ μοι ὁλοκαυτώσεων, ὧν μὴ δεῖται ὁ θεὸς; καί τοι προσφέρειν δέον ἀναίμακτον θυσίαν, καὶ τὴν λογικὴν προσάγειν λατρείαν c). Verba haec multa continent notatu digniſſima. Docent enim, Paganos, vti dixi, inter alia et hoc vertiſſe Chriſtianis vitio, quod *θύειν d)* non ſolerent. Docent et rationem, quam ad defendendos religionis ſocios iniit, qui arduum, his vt aduocatus veniret, munus tenebat ATHENAGORAS. Nimirum rem vitio ipſis datam non negat: negat autem, Chriſtianos in eo peccare, et cauſis quidem permotus grauiſſimis, ex Dei Summi natura deſumtis. Ait enim, ſi Deus eſt *ἀνειδεὴς καὶ ἀπροσδεής,* אֵל שַׁדַּי *e)* vt certe eſt, neceſſe eſt, vt ſacrificiis, Thurisue odore neque indigeat, neque coli queat; quae vero numina hoc delectantur cultu, vera non ſint, ideoque nec nomine tam nobili, tamque auguſto, nec vllo honore digna. Quare, ſanctiſſima illa, quam amplexus erat cum ſociis, religione omnem Idolorum cultum penitus vetante, omnium autem rerum Opifice Summo aliam, quam egregie exponit, ſe colendi rationem poſcente, in nulla ſe et reliquos CHRISTI cultores eſſe credit iniuſtitia, quod Thure cremando abſtineant. Iam quis eſt, qui his perlectis non perſpiciat, quae ATHENAGORAE mens, quae illius de ſuffimentorum vſu fuerit ſententia? Atque in eandem abit etiam CLEMENS Alexandrinus, qui multis de Graecorum ſuffiendi more diſputatis, tandem pergit hoc modo: *Καί τοι εἰ ἀνενδεῶς τρέφεται αὐτοῖς τὸ θεῖον, τίς ἔτι χρεία τροφῆς τῷ ἀνενδεεῖ; εἰ δὲ τιμώμενον χαίρει φύσει ἀνενδεὲς ὑπάρχον, οὐκ ἀπεικότως ἡμεῖς δι' εὐχῆς τιμῶμεν τὸν Θεόν· καὶ ταύτην τὴν θυσίαν ἀρίστην καὶ ἁγιωτάτην μετὰ δικαιοσύνης ἀναπέμπομεν τῷ δικαιοτάτῳ λόγῳ γεραίροντες. - - - ἔστι γ' οὖν τὸ παρ' ἡμῖν θυσιαστήριον ἐνταῦθα τὸ ἐπίγειον, τὸ ἄθροισμα τῶν ταῖς εὐχαῖς ἀνακειμένων, μίαν ὥσπερ ἔχον φωνὴν τὴν κοινὴν, καὶ μίαν γνώμην f).* Quibus dictis

c) in *Apolog.* p. 13. edit. Colon. addita Opp. Iuſt. Martyris.

d) De huius vocis ſignificatu v. POTTER l. c. p. 190. ſ. T. I. LAMB. BOS in *Antiquitt. Gr.* p. 19. edit. Berol. et Francof. et SALMASIVS l. c. p. 500.

e) Gen. XVII, 1. vid. quae IO. HENR. HEIDEGGER. *Exercitt. Bibl.* Diſſ. VI. p. 3. et S. V. DEYLINGIVS *Obſeruatt. S.* P. I. Obſ. X. p. 44. ſſ. de hac voce diſputant.

f) *Stromatt.* lib. VII. p. 515. ed. Lugd.

dictis cauſas perſequitur, e rerum natura accerſitas, quibus Deum ſuffitu neque delectari, neque placari poſſe, et qui eum thure colere velit, de natura et maieſtate ipſius minus recte iudicare demonſtrat *g*). Argumentationis etiam, quam quidam e Lege Moſaica, quae Deo et ſacrificia et θυμιάματα offerre iubet, ducere velint poſſintue, neruos ſtatim incidit, his additis verbis: αἱ κατὰ τὸν νόμον θυσίαι τὴν περὶ ἡμᾶς εὐσέβειαν ἀλληγοροῦσι, idemque turturis et columbae oblatione V. F. facta illuſtrat *h*). Quae quum ita ſint, ſole meridiano clarius eſſe puto, CLEMENTEM Alexandrinum aeque ac ATHENAGORAM et ignoraſſe et reprehendiſſe Thuris, in diuino cultu, vſum, §. VII. n. 5. Equidem non dubito, fore multos, qui, quum voces θυσιαστηρίου, βωμοῦ, hisque ſimiles in Patrum huius aeui ſcriptis interdum legerint, rationes ita ſubducent: quum Chriſtiani habuerint θυσιαστήριον, βωμὸν cet. thus et alia odoramenta incenderint, neceſſe eſt. Sed cauſam meam ſuſtinet tueturque optimus vocum ſupradictarum interpres, et iudex huius litis aequiſſimus, CLEMENS laudatus: qui vbi in eo eſt, vt Gentilium ſacrificiis opponat preces Chriſtianorum, his inter alia vtitur verbis: Ἐστὶν ἡ θυσία τῆς ἐκκλησίας (non agnus, hoedus, taurus, Thus, ſed) λόγος ἀπὸ τῶν ἁγίων ψυχῶν ἀναθυμιώμενος *i*): et βωμὸν ἀληθῶς ἅγιον, τὴν δικαίαν ψυχὴν, καὶ τὸ ἀπ᾽ αὐτῆς ΘΥΜΙΑΜΑ τὴν ὁσίαν εὐχὴν appellat *k*). Vnde perſpicuum eſt, eadem vocabula, at diuerſis vſurpata temporibus, diuerſas deſignare res, atque ita eſſe explicanda, vt illius, quo ſcripta ſunt, Seculi mores poſtulare videntur *l*).

§. XI.

Seculo ab O. R. III. Eccleſiae facies paullulum immutata eſt. Haec autem variatio non tam ipſa fidei dogmata attigit *a*), quam ritus ſacros; quorum, verbis vtar SPANHEMII *b*), *haud leuis facta eſt et mutatio et acceſſio.* Interim tamen conſideranti mihi cultum DEO O. M. publice praeſtitum, ritusque eos recens introductos, viſi ſunt eius aeui Patres Thuris in Sacris publicis vſui aduerſari potius, quam fauere. Teſtor ante omnes TERTVLLIANVM, ſecundo ad finem vergente Sec. Sacra Chriſtiana amplexum, qui in *Apologetico* ſuo, Ethnico-

g) Verba ipſa excitauit Cl. BROEMELN l. c. p. 6. *h*) l. c. *i*) ibid.

l) conf. DALL. l. c. p. 266. et SPANH. *H. E. Sec. II.* p. 617. T. I. opp.

a) v. *Centur. Magd.* Cent. III. c. 4.

b) *H. E. Sec. III.* p. 715. T. I. opp. conf. IO. BONA *Liturg.* lib. I. c. 18. qui de hoc rituum augendorum ſtudio iuſte conqueritur, tandemque haec ſcribit: *Multa quidem vocabula nobis et priſcis Patribus communia retinemus, ſed ſenſu, ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno, quam noſtra tempora a primis poſt C. N. Seculis remota ſunt.*

nicorum Idolis Thura dandi ritum ſaepius reprehendendo, ſe eum in Chriſtianis Sacris morem multo magis improbare, haud obſcure ſignificare videtur. Extat illuſtris, aliosque claritate et euidentia longe excellens locus Cap. XXX. libri modo nominati: vbi de variis bonis, quae Chriſtiani expetere ſolerent, locutus haec addit: *Haec ab alio orare non poſſum, quam quo me ſcio conſecuturum; quoniam et ipſe eſt, qui ſolus praeſtat; et ego ſum, cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum ſolus obſeruo. Qui pro diſciplina eius occidor; qui ei offero opimam et maiorem hoſtiam, quam ipſe mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam: non grana* THVRIS *vnius aſſis, Arabicae arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec ſanguinem reprobi bouis mori optantis* cet. *c*). Quae verba adeo clara ſunt, omnique exceptione maiora, vt IO. DALLAEVS ipſis adſcribere non vereatur: *Quibus non video, quid impudentius dicere potuerit, ſi iam tum Chriſtiani, vt nunc Latini, Deo ſuo thura quotidie in omnibus ſacris adolerent d*). Preces enim, quas etiam *meras* aut *puras* vocat, et quae maximam veri cultus diuini efficiunt partem, e diametro, vt aiunt, Ethnicorum opponit ſacrificiis, ſatis Ironice deſcriptis *e*). Quodſi igitur illis, vt dicit, vacabat, haec ritusque in his vſitatos fugeret neceſſe erat, niſi in ſuſpicionem impietatis incurrere volebat execrandae; id quod tamen iniurium eſſet in virum, quem de Summo Deo, eiusque vero cultu, tam iuſtam, tam ſanctam, diuinisque oraculis conuenientem fouere cernimus ſententiam. Quare TERTVLLIANVM, cum religionis ſociis, manus ab omni ſuffitu caſte abſtinuiſſe, pro certo dicere non dubito, §. VII. n. 5. Sed non poſſum, quin alium eiusdem libri locum addam, Cap. XXXXII. extantem, meaeque ſententiae inprimis fauentem. Eccleſiae Africanae decus ibi propulſare laborat maledicta in Chriſtianos peruulgata, his vtens verbis: *THVRA non emimus: Si Arabiae queruntur, ſcient Sabaei pluris et carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis f*). En! ſcitam propugnationem, qua, vt potuit, accuratiſſime tutatus eſt Afer noſter cauſam Chriſtianam, quaque religionis ſocios in rep. non *infructuoſos* eſſe, vt aduerſarii quidem aiebant, ſatis demonſtrauit. Quoniam enim

c) p. 276. ſſ. edit. Hauercamp.

d) l. c. p. 266.

e) Niſi me omnia fallunt, Afer noſter eruditiſſimus *purarum merarumue* precum denominationem a Gentium ſacrificiis *puriſſimis* mutuatus eſt, quae, docente PHILOSTRATO, *thura* eademque ſola eſſe credebant, *Apollonio* quidem id maximopere ſtatuente. In *Vita Apollon.* Lib. VIII. c. 12. p. 347. edit. Lipſ.

f) p. 361. ſ. edit. Hauercamp. Conf. DALLAEVS l. c. p. 266.

enim eorum ſepulturam non absque thure peragi ſciebat, id quod nec ipſos latebat calumniatores, quodam iure ſuo negat, Chriſtianos thura omnino nulla emere. Vnde colligit, tantum abeſſe, vt mercatores ſuo defraudent lucro, vt potius aeque ac Pagani, thure comparando, quaeſtum iis afferant vtilitatemque non ſpernendam. Quid? quod maius aliquid ſciſcit, illosque mercaturam exercentibus longe, quam quidem hi ſint, vtiliores ait et confirmat etiam. Idque hoc maxime modo. Comparat nimirum thuris copiam, quam et CHRISTI et Idolorum cultores, illi ad ſuos condiendos ſepeliendosque, hi ad placandos Deos ſoleant conſumere, ſumtusque ideo ab vtraque parte faciendos. Et quum hos pauca tantum grana Diis dare, illos autem ad ſepulturam non exiguam Arabicarum mercium quantitatem adhibere noſſet: fieri non poſſe iudicat, quin quas Chriſtiani faciant, Paganorum impenſas facillime exaequent; quamquam quid exaequent? longe ſuperent etiam, inſtitoresque ex maiore thuris, Chriſtianis venditi, copia, maiorem etiam vberioremque quaeſtum reportent. Quam belle, quam eleganter haec omnia! ſed quod mirari ſatis non poſſum, Thuris in ſacris vſurpati nullam, ne verbo quidem, facit mentionem; quam tamen, ſi ibi incenſum fuiſſet, iniicere et poterat et debebat; tum vt falſas fictitiasque Paganorum eo facilius dilueret criminationes, tum vt, quibus poſſet, euinceret cauſis, non leuem negotiatoribus reique publicae vtilitatem adferre Chriſtianos. Quod vero, quum reperiatur ab ipſo penitus intermiſſum, non immerito Chriſtianis Sacris, TERTVLLIANI aeuo peractis, thura denegare mihi videor, §. VII. n. 4. *g*).

§. XII.

Neque minus ſpreuit Graeca Eccleſia Thuris in Sacris publicis vſum, cum viuo, tum mortuo TERTVLLIANO: id quod ſecus viſum eſt GVIL. BEVEREGIO *a*): qui, quoniam Afrum noſtrum ſuae aduerſari cernebat ſententiae, ſibi perſuaſit, fieri potuiſſe, vt alibi vigeret, quem Afri non ſeruabant morem. Sed mihi hallucinatus videtur Vir Doctiſſimus. Namque Graeci iis fere, quibus TERTVLLIANVS, vſi ſunt argumentis, paganorum maledicta a Chriſtianis propulſaturi. ORIGENES teſtis eſto: qui religionis ſocios, vt in aliis, ita et in hac cauſa, egregie tuitus eſt contra CELSI calumnias. Lib. VIII. aduerſus hunc Chriſtianae Eccleſiae inimicum vaferrimum, haud

C 2 obſcu-

g) conf. DODWELL l. c. et *Bibl. Angl.* l. c. p. 12.

a) v. eius *Cod. Can. primit. Eccl. vindicat.* lib. II. c. 2. §. 5. conf. COTELER. *Pat. Apoſt.* T. II. part. poſt. p. 81.

obſcure improbat ſuffitum Graecis profanis vſitatum: eodemque facto ἀληθῶς καὶ νοητῶς εὐώδη θυμιάματα appellat προσευχὰς ἀπὸ συνειδήσεως καθαρᾶς, dicta confirmans verbis Ioanneis, *Apoc.* V. 8. *b*). Hinc varia addit, acute eleganterque diſputata, ex quibus colligit: καὶ δείκνυμεν ---- ὅτι ἐδεμία σύγκρισίς ἐστιν ἔτε τῶν --- ἔτε τῶν παρ' ἡμῖν βωμῶν καὶ (ἵν' ἔτως ὀνομάσω) ΘΥΜΙΑΜΑΤΩΝ πρὸς τὲς ἐκείνων βωμὲς, καὶ τὰς παρ' αὐτοῖς κνίσσας καὶ αἵματα κ. τ. λ. *c*). Vnde apparet, ORIGENIS de hoc ritu ſententiam fuiſſe omnino talem, qualem Afrum noſtrum habuiſſe vidimus; Graecamque Eccleſiam, vti dixi, aeque ſpreuiſſe odores in Sacris incenſos, atque Africanam. Putaremusne, vnquam accidere poſſe, vt thymiamata in Sacris vel incenderet, vel probaret ab aliis incenſa, qui nulla, niſi preces ex mente recti ſibi conſcia profectas, Deo grata et accepta ſtatuit? qui vel *thymiamatum* vocem, eandemque ſenſu translato ſumtam, non absque cautione, ἵν' ἔτως ὀνομάσω, ſuis ſcriptis inſeruit?

§. XIII.

Sed alia accedebat cauſa, qua CHRISTI cultores commoti non poterant, quin, quem expono, ritum cane peius et angue fugerent. Hanc fuiſſe ſentio Thuris incenſionem, ab huius aeui Imperatoribus imperatam, Deorumque in honorem faciendam. Quorum voluntati qui morem gerebant, paucis eius granis in aras iniectis, vitae quidem conſulebant, ſed *Thurificatorum* nomine inſigniti Diis cultum praeſtitiſſe, eoque facto Chriſtianam fidem eiuraſſe credebantur *a*): qui minus, foediſſime crudeliſſimeque vexati, tormentis conficiebantur atrociſſimis *b*). Vtroque modo non leue detrimentum capiebat resp. Chriſtiana. Quod vt huius ciues, eosdemque honeſtos, dolore afficere oportebat, ita et odio inflammare contra quamcunque, vt ita dicam, *Thurificationem*. Quamobrem non paucos extitiſſe conſtat, qui diriſſima quaeuis ſubire maluerunt tormenta, quam duo tantum Thuris grana Diis dare: tum quod illa actio in Diaboli cederet honorem, tum quod thura a diuino, quem Euangelium ſancit, cultu abeſſe iuberentur *c*). Ita et CASP. CALVOERIVM

b) p. 400. ſſ. edit. Hoeſchel.

c) ibid. p. 403.

a) v. FRANÇ. SALMON dans le *Traité de l'Etude des Conciles*. P. I. Chap. 2. p. m. 71. MABILLON. *Itin. Ital.* T. I. P. 2. p. 247. it. M. BROEMELN l. c. §. 10. ſſ.

b) v. quae GVTHERIVS de *Vet. Iur. Pontif.* ex *Martyrolog.* Dec. XXV. refert de Diocletiano, in GRAEVII *Theſ. Antiquit. Rom.* T. V. p. 128.

c) *La religion Chrétienne a rappellé les hommes au culte raiſonable, & l'Evangile n'exige pas plus de nous l'Encens, que des victimes; puisque l'introduction de ces deux*

RIVM iudicaſſe inuenio; cuius non piget huc tranſcribere verba le-ctiſſima: *Pateſcit omnino ex his, incenſa temporibus, vbi Chriſti columba ſub Imperatorum gentilium perſecutionibus gemebat, non fuiſſe adolita, atque hoc forſan tum ob luctum miſellumque Eccleſiae ſtatum, tum praecipue, quo ſuos a thure oblationibusque profanis abſterrerent* d).

§. XIIII.

Quid IIII. S. R. Sec. de Thuris vſu ſenſerit Eccleſia, iam dicendum eſt. Hoc ineunte res adhuc illicita fuit, et penitus incognita: quin etiam eo redierat, vt ARNOBIVS eiusmodi ritum, vti Chriſtianorum, ita et Profanorum ſacris indignum, planeque nouum eſſe contenderet, verbis quidem, quae omnino digna ſunt, quae huc tranſcribam. Ea autem ita ſe habent: *Ac primum illud a vobis iſto ipſo quaerimus, percontamurque de Thure: vnde aut quo tempore noſſe illud aut ſcire potueritis, vt merito exiſtimetis, aut eſſe Diis dandum, aut eorum acceptiſſimum voluntati. Nouella enim propemodum res eſt, neque annorum inexplicabilis ſeries, ex quo eius notitia profluxit in has partes, et delubris meruit intereſſe diuinis. Nam neque temporibus, quemadmodum creditur et perhibetur, heroicis, quidnam eſſet Thus, ſcitum eſt, ſcriptoribus vt comprobatur a priſcis, quorum in libris poſita nulla eius mentio reperitur: neque genitrix et mater ſuperſtitionis Etruria opinionem eius nouit aut famam, ſacellorum vt indicant ritus: neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in vſum cuiquam venit, ſacra cum res fieret: neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis Numa, aut eſſe ſciuit, aut naſci: vt pium far monſtrat, quo peragi mos fuit ſacrificiorum ſolemnium munia. Vnde igitur coepta eſt vſurpatio eius aſſumi: aut in antiquam et veterem conſuetudinem quaenam irruit nouitas, vt, quod tempeſtatibus tantis neceſſarium non fuit, locum ſumeret in caerimoniis primum? Nam ſi ſine Thure religionis officium claudicat, neceſſariaque vis eius eſt, quae propitios faciat, mitesque hominibus coelites, peccatum eſt ab antiquis, quinimo piaculis plena vita omnibus illorum fuit, qui, quod maxime conueniens Deorum fuerit voluptati, per incuriam neglexere libare. Sin autem temporibus priſcis, neque homines, neque Dii huius thuris expetiuere materiam, comprobatur et hodie*

choſes étoit fondée ſur la même raiſon, & tendoit aux mêmes fins. Sic iudicat DODWELL l. c. conf. *Bibl. Angl.* T. VI. p. 17. T. I. p. 224. vbi diſciplinam Eccleſ. trium priorum P. C. N. Sec. deſcribens his vtitur verbis: *Les lieux où ils s'aſſembloient, étoient ſimples & ſans ornement. Il ſemble, qu'en ce tems l'uſage des Images, des Croix, des cierges allumez, & l'Encens, n'étoit pas encore commun.*

d) *Rit. Eccleſ.* P. I. lib. II. Sect. 2. cap. 93. p. 754. conf. DALL. l. c. p. 270. et du PIN dans la *Biblioth. des Auteurs Eccleſ.*

fruſtra illud inaniterque praeſtari, quod neque antiquitas neceſſarium credidit, et ſine vllis nouitas rationibus appetiuit a). Quibus dictis auctor ex Gentibus cauſas quaerit, cur Diis thura dent, Diique illa tam familiariter concupiſcant? atque ex illis vnum haec reſpondere fingit: *Honoramus his Deos.* Quod reſponſum quum ipſius non faciat ſatis deſiderio, ſtatim addit: *Sed nos non veſtrum, ſed numinum requirimus ſenſum: nec quid fiat a vobis, ſed pendatur ab his quanti, quod in praemium datur fauoris, interrogamus. Sed tamen, o pietas, quantus iſte eſt honor, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur, et reſina ex arboris comparatur? Nam ne forte ignoretis, quid aut vnde ſit Thus iſtud: viſcum eſt ex corticibus profluens ita vt ex amygdalo, ceraſo, lacrimabili deſtillatione coaleſcens. Hoccine ergo Superos honorat et auctificat dignitates, aut offenſa ſi aliquando contracta eſt, Thuris vapore diſſoluitur, et temperata indignatione ſopitur b)?* Et paucis interiectis, ita pergit: *An numquid aliquis dicet, idcirco ſuperis Thus dari, quod odoratus habeat ſuaues, et narium commulceat ſenſum, reliqua vero (ſcilicet aromata) ſint aſpera, et ob eam cauſam offenſionis excluſa? Habent enim Dii nares, quibus ducant aërios ſpiritus? Accipiunt auras et remittunt, vt penetrare illos poſſint nidorum differentium qualitates?* Haec ſufficiant: plura, qui deſiderant, apud ARNOBIVM inuenire poſſunt. Vnum ſaltem adhuc monere liceat. Nimirum, quis eſt, qui his cum cura, eoque, quo fieri debet, ingenii acumine lectis et conſideratis, animum inducere velit aut poſſit, vt Chriſtianos ARNOBII aetate Thura in ſacris adhibuiſſe, ſibi perſuadeat? Qua enim mente, quo animo in aliis culpare poterat Auctor noſter, quod in ſuis quotidie fieri cernebat ſacris? Num Ethnicos tam ignaros, atque ad intelligendum tam hebetes credebat, vt, quibus erant impugnati, arma in aduerſarium repellere ac retorquere neſcirent; praecipue quum ipſum magis ferire videantur, quam in quos tela immiſerat c)? Quarum rerum omnium quum nullam habuerit rationem, ſed maxima animi conſtantia, grauiſſimisque Thuris vſum improbauerit argumentis, neminem prudentem in eorum abiturum puto ſententiam, qui hunc morem ab Apoſtolis inſtitutum, in Eccleſia ſemper viguiſſe contendunt. §. VII. n. 5. *d*).

§. XV.

a) *adu. Gentes*, lib. VII. p. 231. ſ. edit. Lugd.

b) ibid. p. 233.

c) conf. DALLAEVS l. c. p. 269. ſ. quo loco verba, contra Paganos pronuntiata, in ARNOBIVM, tanquam impoſtorem, et perfrictae frontis hominem retorquet, ſi iam tum ſuffitus fuiſſet vſurpatus.

d) Breuitatis cauſa taceo LACTANTII et HIERONYMI loca egregia, quorum ille

§. XV.

Progrediente vero Seculo, vbi externa Eccleſiae facies, *Conſtantino* M. ad Chriſti ſacra conuerſo, immutari, eiusque res ſub huius et ſucceſſorum praeſidio atque munificentia florere coepit, rituum et caerimoniarum innumerus fere apparatus ſacris additus eſt Chriſtianis. Huius rei cauſas ſcriptores adducunt varias *a*), quarum vnam, eandemque non vltimam fuiſſe arbitror ſpem, qua Chriſtiani freti credebant, fore, vt Pagani CHRISTO facilius et promtius darent nomen, externa quadam rituum ſimilitudine in eius cultu obſeruata. Tantum autem abeſt, vt omnes ac ſinguli CHRISTO addicti, eiusmodi rituum incrementum aequo tulerint animo, vt potius, data quauis occaſione, de eo ſint conqueſti, animo quaſi praecipientes ſuperſtitionem exinde conſequuturam. Teſtor AVGVSTINVM, *Tolerabiliora fuiſſe*, aientem, *iura legum ſub Iudaeis, quam caerimonias ſub Chriſtianis b*): quae verba, quam longe a primaeua rituum ſimplicitate fuerit hoc aeuo diſceſſum, haud obſcure ſignificare videntur. Longum foret, atque laborem ſuſciperem non facile exantlandum, ſi vt ſingula templa, aut de nouo hoc ſeculo extructa, aut Chriſtianis dedicata vſibus *c*), ita ſingulos ritus, recens introductos, enumerare vellem; quorum copioſiorem largitur notitiam SPANHEMIVS, harum rerum cupidis euoluendus *d*). Quapropter omiſſis omnibus, quae Eccleſiae vel ſplendorem accreſcentem, vel labantem arguunt ſimplicitatem, ad Thuris vſum, cuius nunc prima in Sacris publicis cernuntur veſtigia, animum attendam *e*). Equidem non ignoro, HENR. DODWELLVM, quem hactenus habui mecum conſentientem, ſingularis auctorem eſſe opinionis, qua quidem ex variis Sec. V. Scriptoribus probare atque euincere ſtudet, ne tum quidem, de quo ſermo eſt, morem in Chriſtianam introductum fuiſſe Liturgiam *f*). Verum quum AMBROSIVS illius mentionem inii-

Lib. I. c 20. p. 108; Lib. V. c. 19. 20; it. Lib. VI. ſub init. hic in *Comment. in Marci* Cap. VIIII. et alibi contra hunc morem diſputat.

a) conf. SPANHEM. H. E. Sec. III. p. 715. ſ. it. Sec. IIII. p. 851. ſ. T. I. Opp. ac 10. LAVR. MOSHEM. in *Inſtitt. Hiſt. Chriſt. Ant.* Sec. II. P. II. cap. 4. p. 178.

b) v. *Epiſt. ad Ianuar.* quae LV. eſt in T. II. Opp. p. 107. edit. Benedict.

c) conf. EVSEBIVS in *Vita Conſtant.* M. Lib. IIII. c. 25. p. 592. vsque ad Cap. XXXX. p. 600. it. Cap. XXXXVIII. p. 604. cap. L. p. 605. LVIII. p. 614. edit. Cantabrig.

d) loc. cit.

e) conf. SPANHEM. l. c. p. 864.

f) l. c. conf. *Biblioth. Angl.* T. VI. p. 19. ſ.

iniiciat ritus *g*), aliique Auctores idem doceant, ei ſuffragari nequeo; quamuis negare nec poſſim, nec velim, fieri potuiſſe, vt vnus alterue Patrum, ipſi inualeſcenti, ac radices agenti, ſcriptis ſe ſe oppoſuerit, donec Canonibus, quos Apoſtolis vulgo tribuunt, veluti lege quadam fuerit ſancitus.

§. XVI.

Quamquam autem loca Patrum excitata, ſole meridiano clariora ſunt, et, ſi quid iudicare valeo, Thura a cultu Chriſtiano penitus abeſſe iubent: ſed tamen reperiuntur Auctores non pauci, qui omnem mouent lapidem, quo ritum, in quo verſor deſcribendo, ab ipſis CHRISTI Legatis coeptum, legibusque ſancitum euincant. Scriptores Pontificii, e quibus ROB. BELLARMINVM *a*), IO. BONAM *b*), I. B. CASALIVM *c*), et primo loco dicendos *Concilii Tridentini Patres d*) nominaſſe ſufficiat, agmen ducunt, ſocium nacti GVILIELMVM BEVEREGIVM, qui in eorum abire partes non dubitauit *e*). Nemini autem, quum iſtos morem, de quo diſputatur, ab Apoſtolorum aetate repetentes cernit, permirum videri debet: eis, vt harum rerum amantes ſciunt omnes, admodum frequenter euenit, caſune? an ſtudio? non dicam, vt eiusmodi res, de quibus ne cogitatum quidem fuit primis temporibus, Antiquitatis et Apoſtolicarum legum ornarint titulis. Idemque ipſis etiam hac in cauſa vſu veniſſe dicendum eſt. Et quoniam, quae Patrum verbis, omni exceptione maioribus, opponant, argumenta non habent, in partes trahunt Iudaeorum ſuffiendi conſuetudinem, §. V. et VI. *Canones*, quos vocant, *Apoſtolicos*, et *Liturgias Petrinam, Iacobaeam, Baſilianam*, alias, praeterea duo *Reuelationis Ioannaeae* loca *f*), his ſuam murituri ſententiam. Sed quod ad leges Iudaeorum caerimoniales, quibus ſuam

g) v. eius *Comment. in Luc.* Cap. I. p. 12. T. V. edit. Froben. Verba infra dabo legenda.

a) *De Miſſa.* Lib. II. §. 15. ſecunda Caerimonia.

b) *Rer. Liturg.* Lib. I. c. 25. p. 487. ſ. T. II Opp.

c) *De Sacris Vet. Chriſt. ritibus* cap. 41. p. 231.

d) Seſſ. XXII. de *Sacrificio Miſſae*, cap. 5. PAVLLVS SARPIVS, Patrum congregatorum decretum ſuper hac re factum, his concepit verbis: *E per edificazione de' fedeli, la Chieſa hà inſtituito certi riti, di pronunziare nella Meſſa alcune coſe con baſſa, altre con alta voce, aggiontoui benedizzioni, lumi, ODORI, veſti, PER TRADIZIONE APOSTOLICA.* v. eius *Iſtoria del Concil. Trident.* Lib. VI. p. 587. edit. cIↃ IↃ CXXVIIII.

e) in *Cod. Can. Eccleſ. primitiuae vindicato*, lib. II. c. 2. § 5. qui etiam extat in COTELER. *PP. Apoſt.* T. II. Part. poſt. p. 81.

f) Cap. V. 8; VIII. 3. 4.

ſuam tutantur cauſam, attinet, eas non ea eſſe vi arbitror, non eo valore, vt etiam N. F. fideles ad morem ipſis gerendum deuincire queant: ſiquidem non Paullus ſolum *g*), verum etiam CHRISTI Legati omnes *h*), nos in libertatem, Chriſtiana religione dignam, vindicatos, atque ex ſeruitute rituum Iudaicorum ereptos pronuntiarunt, ſatisque aſſeruerunt. Quibus viris ſi forte fidem habere dubitent, verba certi cuiusdam Patris, idem docentis, in medium proferam, quem ſcio, multum apud illos valere auctoritate. Eſt ille CLEMENS ALEXANDRINVS, haec ſcribens: *Αἱ μὲν γὰρ κατὰ τὸν νόμον θυσίαι* (quorſum et ſuffitus pertinet) *τὴν περὶ ἡμᾶς εὐσέβειαν ἀλληγοροῦσι.* §. X. Quid igitur eſt, quod Scriptores Romani ex Iudaeorum moribus efficere poſſunt, quum et hunc, quem magni faciunt, Patrem, et quod maximum eſt, viros Θεοπνεύστους ſibi aduerſari cernant? At ex *Can. Apoſt. III.* et *Liturgiis* ſupra nominatis ſuam defendunt opinionem. Equidem id fieri non ignoro: ſed quo iure id faciant, et quid commodi exinde conſequantur, ſtatim apparebit. Nimirum a viris, harum rerum peritis, iam dudum oſtenſum eſt atque demonſtratum, *Canones* illos, quos vulgo *Apoſtolicos* appellant *i*), aeque ac *Liturgias*, PETRI, IACOBI, BASILII, aliorum nominibus ornatas *k*), in quibus Romani quaſi Palladium inueniſſe videntur, ſcripta eſſe, ab auctoribus ignotis compoſita, ac multo recentiora, quam quidem prae ſe ferunt; aut ſi qua eorum Apoſtolos, viroſue Apoſtolicos agnoſcant auctores, miris modis interpolata. Quum enim multa tradant, oraculis diuinis, quae in ſcriptis eorum veris ac genuinis extant, maxime contraria, multos, quorum Patres priorum Seculorum ne verbo quidem meminerunt, praecipiant ritus, et ſtilo, Apoſtolis vſitato, non ſint exarata; certum eſt, immo certiſſimum, ſcripta, quae dixi, non ab iis, quorum gerunt nomina, auctoribus eſſe literis mandata: id quod vel ipſi Romanorum cordatiores perſpexerunt, ſcriptisque confeſſi ſunt. Quod quum ita ſit, ſequitur, vt proba-

g) *Gal.* V. 6; VI. 15.

h) *Act.* XV.

i) V. I. A. FABRICIVS in *Cod. Apocr. N. T.* et IO. GEORG. PERTSCHIVS in H. E. Sec. I. cap. 23. §. 19. ſ vbi variis *Ioan. Damaſceni, Onuphrii Panuinii, Guil. Whiſtoni, Seuerini Binii, Dupinii, Tillemontii, Gabr. Albaſpinaei, Blondelli* cet. de illis ſententiis adductis, tandem *Cotelerii* ſuam facit, qui eos Sec. III. quidem ſcriptos putat, ſed nulla fuiſſe auctoritate, neque eo, quo nunc extant, ordine: poſt Concil. Nic. vero eſſe in ordinem redactos, atque confirmatos a Synodo Trullana, Sec. VII. habita.

k) V. EVSEB. RENAVDOTIVS in *Liturg. Oriental. Collectione*, Diſſert. I. cap. 4. et 5. conf. CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *Diſquiſit. de Liturgiis, Eccleſ. Orient. et Occident.* cap. I. §. I. p. 4.

probatio ex huiusmodi dubiis incertisque deſumta operibus, fidem auctoribus ſupra nominatis habendam, nulla infirmare poſſit ratione. Contra ea, quum Seculi primi ſcriptores ne ſemel quidem ſuffitus in Sacris facti, mentionem iniiciant, §. VIII. IVSTINVS Martyr in deſcribenda Eccleſiae Liturgia, vbi poſſet, immo deberet, iterum nullum Thus vſurpatum commemoret, §. VIIII. ATHENAGORAS autem, CLEMENS Alexandrinus, TERTVLLIANVS, ORIGENES atque ARNOBIVS, genuina veri cultus diuini indole egregie definita, cauſis grauiſſimis e natura ac maieſtate Dei accerſitis, eius vſum ſpernant atque reiiciant, et criminationes ob eius neglectum in Chriſtianos peruulgatas, elegantiſſime profecto, atque vrbaniſſime diluant, §. X-XIIII. non poſſum, quin ex illis, quas ſupra poſui leges, §. VII. ita ſubducam rationes: E. ſuffiendi ritus in Chriſtanorum Sacris vsque ad Sec. IIII. initium fuit incognitus, neque ab ipſis Apoſtolis praeceptus ac lege ſancitus. Aiunt quidem, Patrum verba, quae ſupra exſcribenda iudicaui, de ſuffitu in Idolorum veneratione eſſe intelligenda, atque ideo CHRISTI cultores huic in veri Numinis cultu ritui operatos haud negare: verum infirmitatem argumentationis vnusquisque aequus harum rerum iudex facili perſpicere poteſt negotio, qui vel vnius ATHENAGORAE, ea, qua debet, mentis attentione, verba legerit, ita ſe habentia: *ὁ τȣ͂ δὲ τȣ͂ παντὸς δημιȣργὸς καὶ πατὴρ* (qui ſane non erant Paganorum Dii) *ȣ̓ δεῖται αἵματος, ȣ̓δὲ κνιονῆς, ȣ̓δὲ τῆς ἀπὸ τῶν ἀνθῶν καὶ* ΘΥΜΙΑΜΑΤΩΝ *ἐυωδίας, ἀυτὸς ὢν ἡ τελεία ἐυωδία, ἀνειδεὴς καὶ ἀπροσδεὴς κ. τ. λ.* §. X. Ex quibus perſpicuum eſt, ipſi omnino de Numinis Summi colendi modo eſſe ſermonem. Idem ex reliquis apparet locis propius inſpectis, et ſine opione quidem praeiudicata. At largiamur eos de Idolorum cultu loquutos: num Chriſtianos Deum O. M. thure coluiſſe, argumentum exinde ſumendum cenſes? Minime gentium. Nam quum eum, ob hanc maxime cauſam improbare ſoleant ritum, quod tibi Deos, quos nullos eſſe non ignorabant, quo Thuris concremati odorem perſentiſcere poſſent, naribus praeditos fingere, rebusque creatis adſimilare deberes; multo minus Deo, cuius et naturam, et colendi rationem, quemque ſolum Deum eſſe egregie nouerant, eius grana dediſſe ſunt credendi. Quod ſi enim feciſſent, verendumne erat ipſis, ne Idolorum veneratoribus arma traderent, quibus impugnare poſſent Chriſtianos? Nonne perſecutoribus, qui ipſos neglecti ſpretique ſuffitus accuſabant, ſine multis verborum ambagibus reſpondere poterant: nos veſtro

more,

more, Deum noſtrum Thure colimus? Quidni? Quod vero, quum non faciant, ſe ſuaeque religionis ſocios, ſuffiendi in Sacris morem ignoraſſe, ſatis declarant. Tandem APOC. VIII. com. 3. ſ. et V. c. 8. hunc ritum tradunt praeceptum. Ad priora autem quod attinet verba, reſpondeo, ea eſſe prophetica, neque ſenſu literae, quem vocant, accipienda: qua in ſententia me confirmat, quod ſequitur, com. 5. vbi Angelus thuribulum in terram conieciſſe, eoque facto *φωναὶ καὶ βρονταὶ, καὶ ἀστραπαὶ καὶ σεισμὸς* extitiſſe dicuntur. Quis, quaeſo, haec, vt ſe habent, interpretabitur verba? Quamobrem talo firmiſſimo ſtare puto ſententiam, neque de thuribulo ac thymiamate, proprie ſic dicto, ibi eſſe ſermonem, neque etiam Thuris vſum exinde poſſe probari. Ad alterum locum ſatis reſpondit HENR. DODWELLVS, nihil vt, quod addam, habeam *l*). GVIL. BEVEREGII argumenta, de quibus iam agendum foret, ex iis, quae dicta ſunt, facile poſſunt refelli. Nam de *Canone Apoſt.* quantum opus, eſt diſputatum *m*). TERTVLLIANI verbis, quae ſibi aduerſari videt, eamque ob cauſam Eccleſiae tantum Africanae, non Catholicae, mores depingere putat, §. XII. alia ex HIPPOLYTI Lib. *de Antichriſto* opponit, inde ſuam confirmaturus ſententiam *n*). Sed hic liber, non ea eſt apud Criticos auctoritate, vt eo, quo dicitur, Seculo ſcriptum, ſed multo recentiorem credant *o*). Ideoque haud leuem, cur Afrum ſequar eruditiſſimum, HIPPOLYTVM vero nihil probare putem, cauſam habere mihi videor.

§. XVII.

Iam ad eum diſputationis meae progredior locum, qui huius, de quo agitur, ritus originem ob oculos ponere debet, quemque

D 2 ab

l) l. c. cuius verba ita vertuntur in *Biblioth. Angl.* l. c. p. 17. 18. *C'eſt donc abuſer d'une viſion prophetique, que de vouloir la prendre à la lettre; et quand on pourroit le faire, il ne s'enſuivroit nullement, que cette action de Jeſus-Chriſt fût une repreſentation faite dans le Ciel de ce que les Prêtres Chrétiens faiſoient actuellement ſur la terre. L'Egliſe n'avoit alors ni Encenſoirs, ni Autels d'Or, tels que ſont ceux dont il eſt parlé dans l'Apocalypſe, ce qui montre ſuffiſamment que cette viſion eſt copiée ſur le culte Juif, et non ſur le culte Chrétien.*

m) Praeterea alio monebo loco, hunc Canonem parum vel nihil probare, etſi vel ab Apoſtolis ipſis conceptus eſſet verbis.

n) V. COTELERII *Patt. App.* T. II. Part. poſt. p. 81.

o) v. du PIN dans *la Biblioth. des Auteurs Eccleſ.* T. I. p. 112. quo loco HIPPOLYTVM pro auctore eius libri agnoſcere dubitat, hasque adfert cauſas: *le ſtile bas & puerile, & enfin les fables & les fauſſetez, qu'il contient, ſont un legitime fondement pour en douter.* et DODWELL. l. c. conf. *Bibl. Angl.* T. VI. p. 20. ſ.

ab iis, quos quidem hac de cauſa euoluere licuit ſcriptores, non ſatis cerno pertractatum. Libere itaque, quod ſentio, profitebor, iis, quos maiore iudicandi vi natura ornauit, atque exercitatio, vt quid in eo veri ſit, ſtatuere velint, rem relicturus. Nimirum ex Sacra N. F. abunde conſtat Hiſtoria, primaeuos CHRISTI cultores variis impulſos, immo coactos cauſis, in aedibus priuatis, coenaculis, balneis, cryptis, martyrum coemeteriis, locisque conueniſſe ſubterraneis, quo tuti ac quieti res facere poſſent diuinas *a*). Quibus in locis, quum vel de promiſcua populi, in anguſta ſaepenumero conclauia confluentis multitudine, vel de cadaueribus ibi ſepultis *b*), vel etiam de putrida ſpecuum, libero aëri non expoſitorum, conditione, non poſſent non odores exoriri graues, foedi ac virulenti *c*): neceſſitas, ſalutisque conſeruandae ſtudium, vt incenſo Thure illos depellerent, ſacrisque operantes reficerent, exegiſſe videntur. TERTVLLIANO auctore, vt id factum mihi perſuadeo: *Et ſi me*, inquiente, *odor alicuius loci offenderit, Arabiae aliquid incendo, ſed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud Idola d*). Praeterea dubito, an *Canon Apoſtolicus*, qui de hoc loco ſcribentibus varia peperit dubia, huc quoque pertineat, idemque demonſtret. Verbis conceptus eſt ſequentibus: Τῷ καιρῷ τῷ δέοντι πλὴν νέων χίδρων, ἢ ϛάχυας σίτυ, ἢ ϛαφυλῆς, μὴ ἐξὸν ἔϛω προσάγεσθαί τι πρὸς τὸ θυσιαϛήριον, καὶ ἔλαιον εἰς τὴν ἁγίαν λυχνίαν καὶ ΘΥΜΙΑΜΑ τῷ καιρῷ τῆς θείας ἀναφορᾶς *e*). Quae verba, ſi DIONYSII *Exigui* verſionem ſequeris, conſtituunt Canonem quartum, ita fluentem: *Offerri non liceat*

a) v. EVSEB. *H. E.* lib. VII. c. 11. p. 335. lib. VIIII. c. 2. p. 441. edit. Guil. Reading. Idem conſtat ex Concil. Eliberit. Can. 34. 35. conf. PERTSCHIVS *H. E.* Sec. I. cap. 13. §. 8. p. 415. ſſ.

b) v. IOACH. HILDEBRAND in *Sacris publicis V. Ecleſ.* p. 32. et PERTSCHIVS *H. E.* Sec. IIII. c. 7. §. 3.

c) v. D. CHRIST. GODOF. HOFMANNI Diſſert. *de Coemeteriis ex vrbibus tollendis*, c. III. §. 1. not. a. ſub fin. vbi variorum Medicorum tradit rationes, cur viuentibus nociua ſit ſepultura in templis, quae huc inprimis faciunt.

d) lib. *de Corona* c. X. p. 345. edit. Pamel. Clarius hoc docet BARTH. GAVANTVS, vbi Thuris in defunctorum humatione incendendi cauſas recenſens, hanc inter alias ex BELETHI *Diuinorum officiorum, ac eorundem rationum breui explicat.* Cap. 161. adfert, vt nimirum pellant odorem malum defunctorum. vid. eius *Theſaurus Sacr. rit.* P. II. Tit. 13. in not. p. 168. BELLARMINVS quoque ſtatuit, ſuffitum ideo fieri, vt grauis foedusque multi populi pellatur odor, teſte ELSNERO in *nouiſſima Graecorum Chriſt. ſub Mohamedanorum imperio degentium deſcriptione.* Part. prior. Cap. 6. §. 8. in not. p. 283.

e) v. COTELERII *Pat. App.* T. I. p. 437.

liceat aliquid ad altare, praeter nouas ſpicas et vuas, et oleum ad luminaria, et thymiama, id eſt, incenſum, tempore quo ſancta habetur oblatio. Haec ſi ea, qua opus eſt, conſideraueris animi attentione, nullum ibi offendes praeſidium, quo Scriptores Romani ſuam de Thuris vſu defendere ſtudent ſententiam. Quum enim, quae antecedunt verba, mentionem faciant nouarum ſpicarum, vuarum atque olei; et quae conſequuntur: ἡ δὲ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω· ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον, iterum de pomis, aliarumque frugum primitiis agant, quibus, vt vno ore fatentur omnes, DEO nunquam praeſtitere cultum Chriſtiani: affirmare plane non dubito, his verbis de Thure agi, qua oblationum, prioribus Seculis vſitatarum, efficiebat partem, non autem, qua ad reuerentiam erga Summum rerum omnium Opificem adhibendam, neceſſarium credebatur. Quem quidem argumentandi modum tanto maius habiturum puto pondus, ſi Canones non ita diu poſt Apoſtolorum obitum collectos contendis: ſin vero recentiores dixeris, Canon excitatus non amplius pro ritus in Chriſtianis Sacris vetuſtate militare videtur. Atque in illa me confirmat ſententia, Auctor titulorum Canonibus praefixorum, qui, quem tertio praemiſit, his eloquutus eſt verbis: *Quae ſpecies ad altare, non ad Sacrificium, ſed ad benedictionem ſimplicem debeant adhiberi f*). Sed ais: Quam ob rem Thura offerre debebant? Cauſa in promtu eſt: nimirum id ea fieri ſolebat fini, vt praeſto eſſent, quibus mortuos ſuos ſepeliendos condire, quaeque Agaparum ac conuentuum tempore incendere poſſent, vt, quemadmodum accenſis candelis et lampadibus tenebras, ita illis foetores pellerent graues, malignos. Huiusque conſuetudinis in Eccleſia Romana adhuc extare puto veſtigia, quando in eiusmodi templis, quae Cathedralia ac Collegiata vocant, Thura Praeſulibus ac Canonicis, vt et populo offerri ſolent *g*). Expoſitor quoque *Ordinis Romani* apud CASSANDRVM in *Liturgicis,* ad eandem reſpicere videtur, qui, *POST CREDO,* inquit, *thuribula per altaria portantur, et ad nares hominum, Laicorum etiam* (quod IO. BONA ipſe non negat, abuſum tamen appellat) *feruntur, et per manus fumus ad os trahitur h*). Quod teſtimonium licet recens ſit, neque meam extra omnem dubitationem ponat ſententiam, tamen hoc oſtendit, in Eccleſia quondam

 exti-

f) v. *Acta Concil.* T. I. p. 33. edit. Io. Harduin.

g) v. CASALIVS l. c. cap. 41. p. 231.

h) v IO. BONA *Rer. Liturg.* lib. I. c. 25. p. 488. T. II. opp. conf. GAVANTVS l. c. P. II. Tit. 7. n. 10. p. 129.

extitiſſe morem, quo Thura, vel vt conſulerent ſaluti, vel antecedentium Seculorum obſeruarent caerimoniam, accendere oportebat. Vtcunque autem haec ſint, hoc tamen certum eſt, ſuffitum in eiusmodi concionibus ſine ritu, ſine habitu, ac ſine apparatu eſſe excitatum. Et tantum aberat, vt ea ratione Deum colere vellent, vt potius, ſi pro honoris diuini parte habebatur, ſuperſtitioſum, Deoque indignum iudicarent atque ſpernerent, vt ex Auctoribus eius aeui certiſſimis iui demonſtratum. Atque hic ſolus eſt, ſi a funebri Thuris diſceſſeris vſu, quem Chriſtiani nouerant Seculis prioribus, §. XI. Halcyoniis vero Sec. IIII. Eccleſiae illuceſcentibus, apparatu maiore Sacra celebrare, aliisque ex cauſis odores incendere coeperunt. CONSTANTINVS M. et qui eum excipiebant Imperatores CHRISTO addicti, hoc praecipue ſuum eſſe credidere, vt templa vel plane noua et magnifica ſtruerent *i*), vel Ethnica ſuae religionis ſociis traderent, quo ibi conuentus agere, et Sacris operari poſſent Chriſtianis *k*). Ea autem, ſi non omnia, certe plurima thuribulis erant inſtructa *l*). Quae quum ſibi permiſſa cernerent ac tradita, eleganti eorum delectati aſpectu, priſtinum (vt ſemper ſunt homines antiquitatis et morum nimis tenaces priſcorum) ſuffiendi morem, quem neceſſitas, quem phyſica, vt dixi, imperauerat cauſa, etiam rerum facie mutata, ſeruare non dubitarunt: id quod tamen non eo factum reor animo, vt ſuperſtitionis hinc exoriundae fundamenta iacere vellent, ſed vt rem, cui multum adſueti erant, nec ſine iucundiſſima obſeruarent recordatione. Quod quum per luſtra aliquot, libere quidem in Eccleſia factitatum eſſet; credula, quae, maioribus fato defunctis, veram ignorabat originem, eum in cultu diuino ritum maxime neceſſarium credidit poſteritas. Accedebat alia, nec leuis, vt puto, cauſa, ex eorum temporum inſtitutis repetenda. Nimirum ſancitum erat legibus, vt ſtatuis et imaginibus Imperatorum Thura incenderent, eorumque perſonas hoc

i) v. EVSEB. *vit. Conſtant. M.* lib IIII. c. 25. p 592; cap. 29. p. 594. edit. Cantabr. vbi hiſtoricus haec memoriae tradidit: *οἶκον εὐκτήριον θεοπρεπῆ ἀμφὶ τὸ σωτήριον ἄντρον ἐγκελεύεται πλουσίᾳ καὶ βασιλικῇ δείμασθαι πολυτελείᾳ.* conf. CIAMPINI *de S. aedificiis a Conſtant. M. extructis.*

k) v. EVSEB. *H. E.* lib. X. c. 1. ſſ. p. 461. edit. laud. et alibi. SOCRAT. *H. E.* lib. I. c. 9. p. 36; c. 16. p. 45; it. c. 18. p. 47. ed. Guil. Reading. BINGHAM *Orig. Eccleſ.* lib. VIII. c. 2. §. 3. ſ.

l) De templis paganis nemo forte dubitabit: quod autem Imperatores noua donarint thuribulis, praeter alios docet ANASTASIVS in *Vit. Pontif.* et quidem *in vit. Sylueſtri*, p. 308. T. II. edit. Rom.

hoc modo colerent Imperii Rom. ciues *m*). Quem Thuris honorem licet infidelibus vel penitus, vel haud raro denegaſſent Imperatoribus *n*), tamen CONSTANTINO M. imperii faſces tenenti, ſanctiſſimaeque religionis rem omni modo iuuanti quin ſoluerent, ſe continere non potuere Chriſtiani: quin etiam, cultu hoc ciuili ſemel ad ipſos translato, eo venerationis, ne dicam, dementiae, ſunt prolapſi, vt eius imagines paſſim in foris, porticibus, locisque publicis erectas, ſacrificiis propitiarent, lucernis atque *incenſis* colerent. Docet id PHILOSTORGIVS, qui *τὴν Κωνσταντίνου εἰκόνα τὴν ἐπὶ τοῦ πορφυροῦ κίονος ἱσταμένην, θυσίαις τε ἱλάσκησθαι καὶ λυχνοκαΐαις, καὶ* ΘΥΜΙΑΜΑΣΙ *τιμᾶν, καὶ εὐχὰς προσάγειν ὡς θεῷ, καὶ ἀποτροπαίους ἱκετηρίας τῶν δεινῶν ἐπιτελεῖν*, ipſos accuſat *o*). Quod quamuis odio erga

m) Haec ſatis nota ſunt ex ſcriptoribus eorum temporum: ideoque probationis loco nihil adducam, niſi Aram *Auguſto* Imp. a populo Narbonenſi, Anno fere V. C. DCCLXIII. poſitam, ex cuius inſcriptione idem patebit. quae haec eſt:

T. STATILIO. TAVRO
L. CASSIO. LONGINO
COSS. X. KAL. OCTOB
NVMINI. AVG. VOTVM
SVSCEPTVM. A. PLEBE
NARBONENSIVM
IN. PERPETVVM
QVOD. BONVM. FAVSTVM. FELIXQVE SIT. IMP. CAESARI. DIVI. F. AVGVSTO P. P. PONT. MAX. TRIBVN. POT. XXXIV CONSVLI. LIBERIS. GENTIQVE. EIVS SENAT. POP. QVE. ROM. ET. COLONIS INCOLISQVE. C. I. P. N. M. QVI. SE NVMINI. EIVS. IN. PERPETVVM. COLENDO. OBLIGARVNT. PLEBS. NARBONENSIVM. ARAM. NARBONE. IN. POSO. POSVIT AD. QVAM. QVOTANNIS. IX. KAL. OCTOB QVA. DIE. EVM. SECVLI. FELICITAS. ORBI TERRARVM. RECTOREM. EDIDIT. TRES EQVITES. ROM. A. PLEBE. ET. TRES. LIBERTINI. HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT. ET. COLONIS. ET. INCOLIS. PRAESTENT. VII. QVOQVE. IDVS. IANVAR QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS TERRARVM. AVSPICATVS. EST. THVRE VINO. SVPPLICENT. ET. HOSTIAS SINGVLAS. IMMOLENT. ET. COLONIS INCOLISQVE. THVS. VINVM. EA. DIE PRAESTENT. ET. PRIDIE. KAL. IVNIAS QVOD. EA. DIE. T. STATILIO. TAVRO. M AEMILIO. LEPIDO. COSS. IVDICIA. PLEBIS DECVRIONIBVS. CONIVNXIT. HOSTIAS SINGVLAS. IMMOLENT. ET. THVS. ET VINVM. AD. SVPPLICANDVM. NVMINI EIVS. COLONIS. ET. INCOLIS. PRAESTENT EXQVE. IIS. TRIBVS. EQVITIBVS. ROMA LIBERTINVS. VNVS

Dedit hoc fragmentum PETR. BERTHALDVS in lib. ſing. *de Ara*, Cap. XXVI. qui extat in GRAEVII *Theſ. Ant. R.* T. VI. p. 378. Ceterum hic honos et aliis in Rep. R. praeclaris viris habebatur, teſte CICERONE, *Offic.* lib. III. c. 20.

n) v. PLIN. lib. X. Ep. 97.

o) Hiſt. lib. II. c. 17. conf. SOCRAT. *H. E.* lib. I. c. 40. p. 76. it. SOZOM. lib. I. c. 34. p. 93. ed. Cantabr.

erga orthodoxos abreptus ſcripſiſſe videatur, nullum tamen dubium eſt, quin Imperatoris ſtatuas imaginesque nimio mactarint honore. Alii enim eandem rem tradunt ſcriptores: vt THEODORITVS, qui, quo confirmet, quae de honoribus *Conſtantini M.* cadaueri delatis expoſuerat, et alios auctores, et vel ipſam experientiam teſtatur, his verbis: *εἰ δέ τις ἐκείνοις διαπιστεῖ, τὰ νῦν περὶ τὴν ἐκείνου θήκην, καὶ τὸν ἀνδριάντα γινόμενα βλέπων κ. τ. λ. p*).

§. XVIII.

Eo vsque ingraueſcens ſuffiendi ritus ſuos in Eccleſia fines propagauerat *Conſtantino M.* ſummam rerum tenente. Hoc autem mortuo, multa aliter circa eum inſtituta reperiuntur *a*). Quem enim ante haec tempora, vt mihi quidem videtur, quiuis, vbi neceſſe erat, et quocunque loco facere poterat ſuffitum: hunc interdictum aliis, ſibique reſeruatum, et, quod nuspiam antea legitur, *ad Altaria* vſurpatum videmus a Sacrificis. Prius apparet ex HOSII ad *Conſtantium*, Conſtantini F. Epiſtola, qua hunc monet: *οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν· οὔτε σὺ τοῦ ΘΥΜΙΑΝ ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ b*). Poſterius confirmat AMBROSII, A. CCCLXXV. ad Epiſcopatum Mediol. Eccleſ. euecti, hoc pio ore conceptum votum: *Vtinam nobis quoque ADOLENTIBVS ALTARIA, ſacrificium deferentibus, aſſiſtat angelus, immo praebeat ſe videndum c*)! Neque minus ſingulare illud ISAACI cuiusdam, Abbatis et Celliorum Presbyteri factum, qui cinerem *ex Thuribulo, ad altare vſurpato,* ſumtum vna cum pane comediſſe dicitur *d*). Quo facto ſuffitus, res plane *ἀδιάφορος*, ſenſim ſenſimque pro ritu ſacro haberi coepit. Atque haec opinio facillime ſe inſinuare poterat animis Chriſtianorum, tum degentium: quorum duo erant genera: vnum efficiebant priorum Chriſtianorum filii, qui non ſecus, ac patres *Conſtantinum*, huius ſucceſſores familiasque Thuris honore, eodemque effuſo, adficiebant *e*); alterum autem pagani, ad CHRISTI ſacra recens conuerſi, qui praeter cultum Imperatoribus praeſtandum, Idolis etiam Thura dederant. Duplicis huius generis homines in Sacris concionibus ſuffimenta

p) *H. E.* lib. I. c. 34. p. 66. conf. HENR. VALESIVS in not. ad h. l. p. 17.

a) v. SPANHEM. *H. E.* Sec. IIII. p. 864. T. I. opp.

b) v. ATHANASII *Hiſt. Arianor. ad Monach.* cui hanc HOSII inſeruit Epiſtolam, p. 371. T. I. opp. edit. Benedict.

c) *Comment. in Luc.* Cap. I. p. 12. T. V. edit. Froben.

d) v. COTELER. *Monument. Eccleſ. Gr.* T. I. p. 491.

e) v. SPANHEM. l. c p. 866. conf. GOTHOFREDVS in *Comment.* ad *Cod. Theodoſ.* lib. XV. Tit. 4.

menta incendi cernebant: ritus tamen veram cauſam et rationem nec ſciebant, nec docebantur. Cui quum magis magisque adſueſcerent, et ſemper in ea, quam dixi, verſarentur inſcitia: fieri non potuit, quin eum ritum pro vera, immo maxime neceſſaria cultus diuini parte haberent, Deumque Summum aeque ac Principes, Thure et honorari et placari poſſe, ſibi perſuaderent. Quod quum cerneret, ac bene ſecum reputaret, THEODOSIVS, Iunioris cognomine clarus, legem tulit A. CCCCXXV. Aer. Chriſt. qua Thuris honorem, cultum, qui hominum excedebat dignitatem, Superno Numini reſeruandum praeſtandumque iuſſit *f*). Atque his maxime rebus, eoque, quo Epiſcopi Rom. flagrabant pompae, rituumque in Sacris augendorum ſtudio, effectum eſt, vt Thuris vſus non vltimum in rebus diuinis poſtea occuparet locum. Equidem eum morem non ſtatim ab omnibus Chriſtianae ciuitatis coetibus, eiusque doctoribus et probatum et receptum fuiſſe, negare haud poſſum, quippe cui varii auctores Sec. V. degentes, ſeſe oppoſuerunt introducendo *g*): tam altas tamen *Concilii Chalcedonenſis* tempore, iam iam radices egerat, vt ISCHYRION in libello, contra DIOSCORVM ad Patres congregatos ſcripto, hoc inter alia crimini ipſi dare non dubitaret, quod *Periſteriae* cuiusdam, honeſtae foeminae, pecuniam in ſcorta aliasque theatricas perſonas profudiſſet, *ὥςε μηδὲ τὴν ἐυωδίαν, τὴν ἀπὸ τῆς θυσίας τῆς λαμπρᾶς, τὴν μνήμην Περιςερίας ἀνενεχθῆναι πρὸς τὸν Θεὸν, τὸ ὅσον ἐπ᾽ ἀυτῷ*, *vt neque incenſum ex oblatione illius, clariſſimae memoriae Periſteriae, quantum ad eum pertinuerit, Deo offerretur h*). Numquid ſuper hac re decreuerit Concilium, non conſtat: neque hoc ſcire opus eſt: ipſa, quam dixi, actio ſatis docet, ſuffitum, ſi non omnibus, certe plurimis in Eccleſiis fuiſſe vſurpatum. Et quo magis magisque veniret in conſuetudinem, LEO, primus huius nominis Rom. Praeſul, omnem dediſſe operam, eumque adeo praecepiſſe S. RADVLFO *Tungrenſi i*) dicitur: quod quidem ita intelligendum putarem, LEONEM

NEM

f) v. *Cod. Theodoſ.* lib. XV. tit. 4.

g) v. *Biblioth. Angl.* l. c. p. 19. ſ.

h) v. *Acta Concil.* T. II. p. 327. ed. Hard.

i) Prop. 23. coll. *Annott. ad Can. Apoſt.* quae extant in COTEL. *PP. App.* T. I. p. 457. I. BONA l. c. p. 725. T. II. opp. GAVANTVS in *Theſ. Sacr. rit.* P. II. tit. 7. it. DVRANDVS in *Rationali diu. offic.* lib. IIII. c. 31. qui praeter LEONEM et *Concil. Rothomag. Patres* id praecepiſſe ſcribit, probaturus hoc ex BVCARDO, lib. III. cap. *VT TEMPORE* cet. Alii alios nominant auctores; cuius rei cauſam hanc exiſtimo, quod diuerſi Pontifices diuerſis temporibus aliquid circa eum mutarunt ritum: quod fixum in animo teneas, ſi, vbi tibi in hoc loco nodus eſt, eum feliciter expedire cupis.

NEM hunc lege ſanxiſſe, vt ſuffitum, rem liberam atque ἀδιάφορον, veluti neceſſariam cultus Chriſtiani partem *Thure conſecrato k*) ciere, certisque religionis actibus, vt ita loquar, addere deberent: id quod confirmatis a Synodo *Trullana* Canonibus Apoſtolicis, pro ritu a Legatis CHRISTI ſancito et vſurpato haberi coepit *l*). Atque vt ea eſt communis rerum humanarum ſors, vt non ſtatim ad id perfectionis faſtigium perueniant, quo eas aetatis ſuae flore conſpicimus: ita et huic, de quo ſcribo, Thuris contigit vſui, qui a paruis, vt oſtenſum eſt, exordium capiens incunabulis, non pauca procedente tempore habuit incrementa, et ſenſim ſenſimque compluribus Sacris religionis Chriſtianae rebus adiectus eſt. Quarum vt nonnullas indicem, meum a me poſtulare videtur inſtitutum.

§. XVIIII.

Incenſi Thuris fumum in aëra conſcendentem vti precum Symbolum *a*), comitemque ſupplicationum, quas ad Imperatores dirigebant, neceſſarium crediderant §. XVII. XVIII: ita nec Deum rite adorare ſe poſſe putabant, eo non excitato. Lectis quoque eorum temporum ſcriptis, parum abeſt, quin preces, antequam diuinis rebus aliis acceſſerat, ſuffitu nobilitatas adfirmemus. Vtcunque autem ſit, certo tamen factum eſt, vt precibus, ſiue in concionibus, ſiue in priuatis aedibus vacaturi, odores incenderent: id quod

k) Liturgia CHRYSOSTOMI nomine ornata, hunc thuris conſecrandi ritum praecipit. Diaconus thure ac thuribulo ſumto, ſacerdotem alloquitur: ἐυλόγησον, δέσποτα, τὸ θυμίαμα. quo facto Sacerdos precatur hoc modo: Θυμίαμά σοι προσφέρομεν, χριστὲ ὁ θεὸς, εἰς ὀσμὴν ἐυωδίας πνευματικῆς, ἣν πρόσδεξαι, δέσποτα, εἰς τὸ ἅγιον, καὶ ὑπερουράνιον, καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον κ. τ. λ. vid. *Bibl. Patr. Gr.* T. II. p. 63. Alias eiusmodi precandi formulas videſis apud HOSPINIANVM *de templis*, lib. IIII. c. 4. p. 389. et HVG. MENAND. in *Append. ad libr. Sacrament. S. GREGORII.*

l) Elegans eſt DODWELLI de hoc loco ſententia, qui cum Canones Apoſt. circa A. DXXXXVII. collectos atque ab Eccleſia Rom. receptos dixiſſet, haec addit: *L'uſage de l'Encens y entra par le même moyen; celui qui fit ce Recueil ayant donné pour une tradition Apoſtolique ce qui pouvoit avoir été deja pratiqué avant ſon tems en quelques Egliſes. Cette pratique pouvoit bien avoir paſſé du Palais dans le Temple, parceque la coûtume étoit, pour honorer les Empereurs & les Jmperatrices de porter devant eux un Encenſoir & du feu, où l'on faiſoit fumer de l'Encens. Jl falloit pourtant une nouvelle Loi de Dieu pour autoriſer cette innovation de l'Egliſe Chrétienne. On trouva cette Loi dans les Ouvrages, que l'on publia ſous le Nom des Apôtres & des hommes Apoſtoliques. L'Egliſe de Rome ayant reçû les Canons attribuez aux Apôtres & s'étant peu-à-peu renduë la Metropolitaine du Monde Chrétien, elle étendit par tout ſes rites avec ſes Conquêtes.* v. *Bibl. Angl.* l. c. p. 21. ſ.

a) *Pſ.* CXXXXI. 2; *Apoc.* VIII. 3. 4.

quod vel laici non intermiſerunt, quum Deo irent ſupplicatum *b*). Exemplum huius moris EVAGRIVS ſcriptum reliquit, qui neſcio quem *Zoſimum*, Caeſareae in Arceſilai cuiusdam aedibus degentem, eo functum refert, his quidem verbis: Ὁ Ζωσιμᾶς ἐν τῷ ἀκαρεῖ τῆς Ἀντιόχου πτώσεως ἀθρόον ἐπιστυγνάσας, ὀλοφυρόμενός τε καὶ μύχιον ἀνοιμώξας, δάκρυά τε τοσαῦτα σπείσας, ὡς καὶ τὴν γῆν ἐπιβρέξαι, θυμιατήριον ἐξῃτήσατο, καὶ πάντα τὸν χόρον ἐν ᾧ καθειστήκεισαν ΕΠΙΘΥΜΙΑΣΑΣ, ἐπὶ τῆς γῆς ἑαυτὸν ῥίπτει, προσευχαῖς τε καὶ λιταῖς τὸν θεὸν ἱλεούμενος *c*). Simile factum deſcribit THEOSTERIDVS: Ὁ δὲ κατελθὼν ἐν τῇ μεγάλῃ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ἅψας κηροὺς, ΘΥΜΙΑΣΑΣ τε καὶ εὐξάμενος κ. τ. λ. *d*). Quod quoniam in more poſitum erat inſtitutoque Eccleſiae, *Hierarchiae Eccleſ. e*), *Liturgiarum*, quae MARCI et IACOBI nominibus ornatae extant, *Ordinis*que *Oblationis Myſteriorum*, qui SEVERO Patriarchae tribuitur *f*), auctores non poterant, quin ad altaria deprecaturis τὸ θυμιᾶν praeciperent *g*). Ceterum vel huius moris praeceptio eorum veram aetatem haud obſcure ſignificare videtur.

§. XX.

Praelectionem Euangelii in Chriſtianorum concionibus perantiquam eſſe, atque a viris, quos Apoſtolicos vocant, inſtitutam, largiuntur omnes, §. 9: rationem eius ſplendidam non item. Quam enim ab initio ſine vlla fecerant caerimonia, ea aliarum gentium pompa, ſplendore, atque oſtentatione in ciuitatem Chriſtianam translatis, non ſine multis peragi coepit ritibus *a*). Quorum in

b) v. BONA l. c. lib. I. c. 25. p. 488; lib. II. c. 9. p. 725.

c) *H. E.* lib. IIII. c. 7. p. 384. conf. NICEPHOR. *H. E.* lib. XVII. c. 4.

d) in *Vit. S. Nicetae* num. 36. quem locum IO. FAES dedit in lib. de *Cereis baptiſmal.* p. 20.

e) Cap. III. conf. BALTH. BEBEL. *Antiquit. Eccleſ. Sec. IIII.* p. 795. T. poſt.

f) v. HILDEBRAND. *Ritual. Orantium* p. 124. ſ. vbi ſimul preces extant, ſuffitus actui adiiciendae, ſed auctoribus, quibus attribuuntur, penitus indignae.

g) Plura tradit GVIL. DVRAND. in *Rationali diu. offic.* lib. V. c. 9. n. 5. quem adeant harum rerum cupidi. Scio multos medii aeui ritus Eccleſ. ex paganiſmo deriuare: num iure id fiat? nec ne? me prudentiores definiant. Hoc ſaltem monere liceat, me elegantem apud ARISTOPHANEM reperiſſe locum, idem de Graecis profanis, quod de Chriſtianis dixi, confirmantem. Comicus in *Ran.* v. 895. ſ. *Bacchum* loqui fingit:

Ἴθι νῦν λιβανωτὸν δεῦρό τις, καὶ πῦρ δότω,
Ὅπως ἂν εὔξωμαι πρὸ τῶν σοφισμάτων.

hortarique paullo poſt *Euripidem*, vt idem facere velit v. 915.

Ἐπίθες, λαβὼν δὴ καὶ σὺ λιβανωτόν.

p. 152. ſ. edit. Kuſter. Similis locus extat in *Veſp.* v. 856. ſſ. p. 309.

a) v. I. A. SCHMID. in Diſſ. de *Cultu Euangelii* Sect. I. §. 4. 5.

numero et Thus incenſum reperimus. Codici enim, ſiue ad pulpitum portandus erat, ſiue ad altare, thuribula, ſuauiſſimos odores ſpirantia *b*) praeferrentur, neceſſe erat. Sciſcit hoc, praeter alia ea occaſione obſeruanda, *Ordinis Rom.* auctor, cuius verba huc tranſcribere non piget. *Subdiaconi duo*, ait, *cum thuribulis ante Evangelium in ambonem ex vna parte aſcendentes, et ex altera parte ſtatim deſcendentes, redeunt ſtare ante gradum ambonis* cet. *c*). Quo cum conſentit BARTH. GAVANTVS, codicem (barbare cum eo loquar) *ter h. e. in medio, a dextris et a ſiniſtris incenſandum* perhibens *d*): nec minus EDM. MARTENIVS, qui praeterea durante Evangelii praelectione Thura fumaſſe, ſcribit *e*).

§. XXI.

Iam ad eum accedo locum, qui Thuris in S. *συνάξει* celebranda vſum exponere debet. De quo quid ſentiant ſcriptores Romani, *Conciliique Tridentini Patres* decreuerint *a*), ſupra et oſtendi et confutaui etiam argumentis, ni fallor, validiſſimis, §. XVI. ſ. Quare ea hic

b) quibus *τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως τȣ̃ χριςȣ̃* denotare volebant, 2. *Cor.* II. 14. docente CASALIO l. c. cap. 41. p. 230.

c) v. BONA l. c. lib. II. c. 7. p. 663. it. c. 9. p. 725.

d) in *Theſ. Sacr. rit.* P. II. tit. VI. p. 116. 173. ſ.

e) in lib. de *Antiquis Monachorum ritibus*, Lib. II. c. 4. p. 140. *Diaconus*, inquit, *vadat legere Evangelium, - - - quod dum legit, ſtet ante eum Acolythus cum Incenſo, vsque dum finiatur.*

a) vid ſupra §. XVI. not. d. Nec tamen ſine vlla Patrum contentione lex haec ſancita eſt atque ſtabilita. SARPIVS in *Concil Trid. hiſt.* pro eo, quo maxime commendatur, veri amore id ſatis teſtatur. Nimirum ANTONINVS *de Valtellina*, Dominicani Ord. ſodalis ſe ſe ei oppoſuit ferendae: ex Hiſt. Eccleſ. notiſſimum eſſe perhibens, ritus maximas ſubinde paſſos eſſe mutationes, ideoque in variis Eccleſiis introductos diuerſiſſimos. Succedente demum tempore, Pontificibus vt placerent, receptos eſſe a maxima Eccleſiarum parte, quos hi finxiſſent mores: ita tamen, vt multae ſua adhuc gauderent libertate, ritusque exercerent Romanis quam maxime contrarios. Quae feceerat verba, confirmat ex libro, qui ORDO ROM. inſcribitur, quique varias variarum Eccleſiarum, immo vel ipſius Romanae, caerimonias exhibet, iisque dictis addit: *Quanto alle veſti, vaſi, ed altri paramenti, coſì de' Miniſtri, come degl' Altari, non ſolo dalla lettura de' libri, mà dalle ſculture e pitture, vederſi li preſenti eſſer coſì trasformati, che ſe ritornaſſero i vecchi al mondo, non gli riconoſcerebbono. Perilche concludeva, che il reſtringerſi ad approvar li riti, che la Chieſa Romana uſa, potrebbe eſſer ripreſo, come una condanna dell' antichità, e degl' uſi delle altre Chieſe: e potrebbe ricever anco più ſiniſtre interpretazioni.* lib. VI. p. 561. Qui reliquis Patribus ſtomachum tali oratione mouerat ANTONINVS, ab Epiſcopo *Quinqueccleſienſi* maſcule defenditur, atque ob veritatis ſtudium laudatur ſummopere. Quae quum ita ſint, tantum abeſt, vt omnes, qui Tridenti conuenerant Patres, ritus Eccleſ. Rom. cunctos, quorſum et Thuris vſus pertinet, pro Apoſtolicis habuerint, vt potius nonnullos reprobauerint.

hic loci non repetam, ne cramben bis coctam apponere videar. Poſtulabo potius, vt mihi concedatur, prioribus A S. R. Sec. incendiſſe CHRISTI cultores, vbi ſcilicet inſtituendum erat diuinum iſtud epulum, nihil ſuffimentorum, etiamſi alio tempore illa haud ſpernerent *b*). At enim vero, ex quo moris erat, precibus fundendis Thura addere, inque Sacris Euchariſticis *Sacrificii, τῆς θυσίας*, vox adhibebatur, quae poſtea inſignem de vero ac propitiatorio Sacrificio peperit errorem; mos, vt fit, produxit morem; error errorem: decreuitque aetas poſterior in diuina hac re faciunda incendere odores. Et primo quidem, id non niſi eo fiebat tempore, quo, pane vinoque oblato, Deo ſupplicabat Sacerdos, et gratias, quas poterat, agebat maximas, §. VIIII. XVIIII. *c*). Deinde autem, mortalium animis eo, quem dixi, errore imbutis, Thura terque quaterque cremari coepta ſunt, et pro neceſſario S. Coenae ritu haberi: quae opinio ex Iudaeorum et Paganorum ſacrificiis orta videtur *d*). Sed ne cui gratis haec aſſerere videar, iisque temporibus crebriorem, quam quidem verum eſt, thuris vſum tribuere: adducam locum, prolixum quidem illum, ſed memoratu dignum, ex quo, quantum in diuina hac re faciunda, tum a prima I. C. inſtitutione, tum a ſimplici Apoſtolorum, priorumque temporum conſuetudine receſſum ſit, appareat. BARTH. GAVANTVS, ſeu potius *Miſſale*, in quod hic commentatur, mihi illum ſuppeditat, his conceptum verbis: *In Miſſa ſolemni Sacerdos facta Confeſſione aſcendit, cum Miniſtro ad medium Altaris, vbi dicto: ORAMVS TE, DOMINE, et oſculato Altari, ponit INCENSVM in thuribulum, miniſtrante Diacono nauiculam e), et thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinatus verſus celebrantem dicit:* BENEDICITE, PATER REV. *et oſculatur cochlear et manum Celebrantis ante et poſt. Celebrans ter INCENSVM ponit in thuribu-*

E 3 *lum,*

b) Huius rei teſtes ſunt AMALARIVS in *praef. lib. de Eccl. Offic.* cuius verba excitat BONA l. c. p. 725. et MICROLOGVS in lib. de *Eccleſ. Obſeruat.* qui extat in *Biblioth. Pat. Max.* T. XVIII. p. 475. Vterque ex ſcriptoribus priſcis refert, Romanos olim, praelecto Evangelio, *thura incenſa* non attuliſſe ad altare.

c) Ita accipio verba *Auctoris Hierarch. Eccl.* Cap. III. atque HVG. VICT. de *Offic. Eccleſ.* lib. II. c. 14. qui Pontificem ad altare precaturum, ab eius ſuffitione initium capere iubent. Poſterior quoque in quibusdam Eccleſiis hunc morem ſeruari teſtatur.

d) V. CALVOER. l. c. Part. I. lib. II. Sect. 2. c. 93. §. 3. et ſupra §. XVIII. not. i. vbi monui, plurimos, et vel Pontificios Scriptores, LEONIS M. decreto id factum credere.

e) Vox haec deſignat Vas Thura continens, quod caſtae Latinitatis Scriptoribus *acerrae* nomine venit, §. IIII.

lum, dicens interim: AB ILLO BENEDICARIS, *et depoſito cochleari, manu dextra ſignum Crucis ſuper THVS in thuribulo illud benedicit. Poſtea Diaconus dimiſſa nauicula, accipit thuribulum, et dat Celebranti, oſculata prius catenularum ſummitate et manu illius dextra. Qui facta Cruci profunda reuerentia eam ter INCENSAT, nihil dicens, et facta iterum Cruci reuerentia, INCENSAT altare, ter ducens thuribulum aequali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra, a medio eius vsque ad cornu Epiſtolae, vbi demiſſa manu THVRIFICAT illius poſtremam partem inferiorem, mox ſuperiorem bis ducto thuribulo; et conuerſus ad Altare eleuans manum, INCENSAT eius planitiem, ſeu menſam in parte anteriori, ter ducens thuribulum vsque ad medium, vbi facta Cruci reuerentia procedendo THVRIFICAT aliud latus altaris, triplici ductu vsque ad cornu Evangelii, et pariter INCENSAT A inferiori et ſuperiori parte ipſius Cornu Evangelii duplici ductu, adhuc ſtans ibidem, eleuans thuribulum ter INCENSAT ſuperiorem tabulae partem verſus medium Altaris, vt facit in Cornu Epiſtolae, deinde manu aliquantum demiſſa, INCENSAT anteriorem eius partem ſeu frontem, ter ducens Thuribulum dum procedit a Cornu Evangelii, vsque ad medium Altaris: et facta Cruci reuerentia INCENSAT ſimiliter triplici ductu aliquam partem anteriorem, vsque ad Cornu Epiſtolae, vbi reddito Thuribulo ipſi Diacono ab eo ipſe ſolus INCENSATVR f).* Variis, quae ad Evangelii praelectionem ſpectant, interiectis, ſic pergit: *Dicto* VENI SANCTIFICATOR, *vt ſupra, Celebrans, miniſtrante Diacono nauiculam, et dicente:* BENEDICITE, PATER REV. *ponit INCENSVM in thuribulum, dicens:* PER INTERCESSIONEM *cet. vt in Ordine Miſſae. Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reuerentiam, incenſat oblata, ter ducens thuribulum ſuper Calicem et hoſtiam ſimul in modum Crucis, et ter circum Calicem et hoſtiam, ſcilicet bis a dextra ad ſiniſtram, et ſemel a ſiniſtra ad dextram. (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) diſpenſans verba in qualibet INCENSATIONE hoc modo: In prima INCENSATIONE,* INCENSVM ISTVD, *in ſecunda, A* TE BENEDICTVM, *in tertia,* ASCENDAT AD TE, DOMINE, *in quarta,* ET DESCENDAT SVPER NOS, *in quinta et ſexta,* MISERICORDIA TVA. *Deinde facta reuerentia INCENSAT Crucem et Altare, vt dictum eſt ſupra, aſſiſtente eodem Diacono, interim dicens:* DIRIGATVR ORATIO MEA *cet. et cum INCENSATVR Crux, Diaconus amouet Calicem, ad partem Epiſtolae, et INCENSATA Cruce reponit in ſuo loco. Cum reddit thuribulum, Diacono dicit:* ACCENDAT IN NOBIS *cet. et incenſatur ab eo: deinde Diaconus INCENSAT Chorum, et poſtremo Subdiaconum tenentem patinam, et ipſe Diaconus INCENSATVR a thuriferario, et Thuriferarius poſtea INCENSAT Acolythos et populum g).* Durante autem ipſius Miſſae, quam vocant, celebra-

f) l. c. p. 104. ſ. g) l. c. p. 128.

lebratione, *Thuriferarius geneflexus in Cornu Epiſtolae, ter INCENSAT hoſtiam et ſimiliter Calicem, nimirum quando Celebrans adorat, eleuat, et deponit b)*. Quantus rituum apparatus! quis, quaeſo, ſibi perſuadere poteſt, haec eſſe ab Apoſtolis excogitata, vſurpata, ſancita? Sed ſatis de hoc: ad reliquos pergamus.

§. XXII.

Miſſam pro defunctis, quam vocant, non minus Thure incenſo celebrandam eſſe cenſuerunt: cuius et originem *a*) et ritus omnes tradere, quoniam mei non patitur inſtituti ratio, breuibus ſaltem demonſtrabo, quando ſuffitus in illa ſit ciendus. Quo in negotio BARTH. GAVANTVM ducem nactus, eius veſtigia iterum perſequar, et quid docuerit ille, huc ego transſcribam. Sic autem ille: *In Miſſa pro defunctis tantum OBLATA, et ALTARE, ſolusque CELEBRANS INCENSANTVR. Qua finita, ſi facienda eſt Abſolutio, Celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolae, vbi exuitur Caſula, et depoſito Manipulo, accipit pluuiale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos, cum candelabris accenſis, defert Crucem, ſicut in proceſſionibus, praecedentibus duobus aliis Acolythis, vno cum THVRIBVLO et nauicula INCENSI, alio cum vaſe Aquae benedictae et aſperſorio b). Sequitur Celebrans --- a ſiniſtris eius Diaconus et prope eum alii duo Acolythi deferentes THVRIBVLVM et vas aquae benedictae. Interea cantatur:* LIBERA ME, DOMINE, *cet. et circa illius finem Celebrans ponit INCENSVM in thuribulum, benedicens illud more ſolito, miniſtrante Diacono nauiculam: et finito* KYRIE, ELEISON, *incipit intelligibili voce* PATER NOSTER, *aſpergit tumulum aqua benedicta, poſtea de manu Diaconi accipit Thuribulum, et eodem modo, quo aſperſerat, INCENSAT nimirum ter a parte dextra, et ter a ſiniſtra c)*. Quibus dictis hunc Thuris honorem neceſſario ſoluendum ait fato defunctis, idemque BARONIVM ad A. XXXIIII. n. 312. ex *Concil. Chalcedon.* Actis ſatis confirmaſſe pronuntiat *d*). Cauſarum, quibus ſuam

b) l. c. p. 139. conferri poſſunt EDM. MARTEN. l. c. p. 150. et DVRANDVS l. c. lib. IIII. c. 6.

a) v. PFAFF. *Inſtitut. H. E.* Sec. V. c. 3. §. 4. et Sec. VI. c. 3. §. 2. p. 131.

b) Ex his perſpici poteſt verbis, moris eſſe, in pompis etiam Sacris odoramenta incendere: id quod eam ob cauſam obſeruo, ne id alio monere debeam loco. Qui plura de iis ſcire cupit ritibus, adeat MABILLON. *Muſ. Ital.* T. II. vbi ex *Ord. Rom.* VI. p. 70. ſ. it. ex *Ordine Rom. XIIII.* p. 255. alibique, quantum ſatis eſt, reperiet.

c) v. eius *Theſ. Sacr. rit.* P. II. Tit. XIII. p. 166. ſ.

d) l. c. p. 168. conf. §. XVIII. vbi obſeruatum eſt, qua occaſione, et quid de hoc ritu monitum ſit in Concil. Chalced.

ſuam tuetur ſententiam, eam, quam ex IO. BELETHO excitauit *e*), quo ſcilicet *malus foedusque mortuorum pellatur odor*, maximam, atque grauiſſimam eſſe exiſtimo: reliquae omnes ita ſunt comparatae, vt illis et copioſius percenſendis, et argute confutandis commode ſuperſedere queam.

§. XXIII.

Sanctorum cum reliquiae, quas vocant, tum imagines, omnino dignae viſae ſunt, quae mediis florebat Seculis, Eccleſiae, quas et coleret ipſa, et poſteris commendaret colendas *a*). Hanc erga eas pietatem atque reuerentiam inter alia et Thure incenſo ſignificandam duxerunt homines creduli ac ſuperſtitioſi. Et cauſam quidem, cur id fecerint, hanc fuiſſe arbitror. Scilicet oſtendi, eo tempore, quo CHRISTI cultores ad Martyrum ſepulcra, et in coemeteriis ſuos agebant conuentus, neceſſitatem poſtulaſſe, vt Thura ad depellendos mortuorum foetores cremarent, §. XVII. et XXII. Templis poſtea in illis locis exſtructis, morem a maioribus coeptum ſeruarunt, ita tamen vt liber eſſet, nulliſque iuſſus legibus, donec ſuperſtitione magis magiſque creſcente, in legem abiit, et miraculo probatus creditur *b*). Eiusmodi legem a *Concil. Nic. II.* Patribus perlatam inuenio *c*). Quorum decreta, aduerſarios haud paucos nacta, quum tandem, Praeſulibus Rom. ita volentibus, ceu fidei vitaeque norma recepta eſſent; conſuetudo inualuit, Sanctorum Reliquiis, ſi quas in Altari adeſſe ſciunt *d*), imaginibusque Thura incenſa offerendi in Miſſae,

e) v. eius *Diuin. Offic. ac eorundem rationum breuis explicatio*, cap. 161. adiecta DVRANDI *Rationali Diuin. Offic.*

a) Huius cultus originem, incrementa, et ſuperſtitionem expoſuerunt BAYLE *Diction. Hiſt. et Crit.* S. v. *Neſtor ius*, rem. M. p. 2216. ſſ. edit. Roterod. HOSPINIANVS *de templis*, lib. II. c. 7. p. 92. ſſ. SARPIVS nell' *Iſtoria del Concil. Trident.* lib. VIII. p. 825. ſ. CHEMNITIVS in *Exam. Concil. Trident.* P. IIII. Tit. de reliquiis Sanctorum, et S. Venerab. DEYLINGIVS in *Obſervat. S.* Part. I. *Obſeruat.* XXVIII. p. 142. ſſ. it. Obſeruat. LVIII. p. 314. ſſ.

b) v. Cl. BROEMELN l. c. §. 27. quo loco HENSCHENIVM et PAPEBROCHIVM in *Actis Sanctorum*, T. V. in *Vit. S. Marthae*, c. V. et in *Vit. S. Simeonis* ſtylitae, C. VIIII. Sec. VI. epocham huic cultui adſignaſſe refert.

c) Act. VII. vbi ita de imaginibus colendis praecipiunt: ἀλλ' ὃν τρόπον τῷ τύπῳ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, καὶ τοῖς ἁγίοις εὐαγγελίοις, καὶ τοῖς λοιποῖς ἁγίοις ἀναθήμασι, καὶ θυμιασμάτων καὶ φώτων προσαγωγὴν, πρὸς τὴν τούτων τιμὴν ποιεῖσθαι, καθὼς καὶ τοῖς ἀρχαίοις εὐσεβῶς εἴθισται. κ. τ. λ. p. 456. T. IIII. *Act. Concil.* edit. Hard.

d) Ibi autem ſemper adſunt, nec facile vllius, vel potius nullius fit dedicatio ſine Reliquiis: E. harum ſemper facienda eſt incenſatio. v. SLEVOGT. lib. de *Iure Altarium*, Cap. II. §. 3. vbi p. 15. ſſ.

Miſſae, quam vocant, celebratione *e*). Quid? quod et alios, in Diuorum numerum recens relatos, Thuris honore mactant: vt ANDREAM OVIEDO, primum Aethiopum ex Latinis Patriarcham, cui populus ſingulis totius anni dominicis, ceterisque feſtis diebus, ad tumulum offerre ſolet THVS, ceram, alia *f*).

§. XXIIII.

THVRIS in Exorciſmo incenſi ratio nunc erit exponenda. Quem quoniam primaeui Chriſtiani ſolis peregerunt precibus, absque vllo caerimoniarum apparatu *a*), non incommode et Thura ab eo abfuiſſe ratiocinari poſſum. Cui argumento meo non leue, vt opinor, pondus accedet, duobus locis plane egregiis adductis. Quorum alter extat apud IVSTINVM Martyrem, qui Iudaeo cuidam, profanum ac ſuperſtitioſum gentis ſuae, operas praeſtigiasque diabolicas Thuris odore deſtruere conantis, morem his exprobrat verbis: Ηδη μὲν τοι οἱ ἐξ ὑμῶν ἐπορκισαὶ τῇ τέχνῃ, ὥπερ καὶ τὰ ἔθνη, χρώμενοι ἐξορκίζουσι, καὶ ΘΥΜΙΑΜΑΣΙ καὶ καταθέσμοις χρῶνται *b*). *Exorciſtae veſtri, gentilium in modum, in expellendis malignis ſpiritibus, ſuffimentis atque alligamentis vtuntur.* Ex quibus haec ſua ſponte ſequuntur: paganos eo tempore odores incendiſſe, vbi Spiritus malignos loco mouere ſuſcipiebant: Iudaeos, vel ideo ab Eccleſiae doctore culpandos, huius pagani moris fuiſſe aemulos: Chriſtianos autem abſtinuiſſe ſuffitione, in Exorciſmo, quem vocant, exercendo. Quodſi enim hos eandem rem pari modo feciſſe fingere velles, qua temeritate, qua impudentia IVSTINVS fuerit, oportet, qui aliis vertebat vitio, cuius ſemet ipſum reum eſſe non ignorabat? §. VII. n. 5. Alter extat apud TERTVLLIANVM, qui: *Quo ore*, inquit, *Chriſtianus thurarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet et exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Qua conſtantia exorzabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium praeſtat? Ille quidem ſi excluſerit daemonium, non ſibi placeat de fide, neque enim inimicum excluſit, facile debuit de eo impetrare,*

ex *Pontificali Romano*, CLEMENTIS VIII. iuſſu, Rom. 1595. edito, haec probat; conf. *Can.* VII. Concil. Nic. II. p. 492. T. IIII. *Act. Conc.* ed. laud.

e) GAVANT. l. c. p. 166. et in not. ad h. l. ſcribit: *Reliquiis ſ. imaginibus, i. e. ſtatuis Sanctorum, non pictis imaginibus in pariete fieri hoc loco reuerentiam cum Thure accenſo, hancque Imaginum Sanctorum, ergo multo magis Reliquiarum Incenſationem approbaſſe Synod.* VII. Act. 4.

f) Excitat hoc factum DALLAEVS l. c. lib. III. c. 3. p. 348. ex Annalib. Aethiop. ad A. 1621. et 1625.

a) v. IO. CHRIST. WERNSDORFII Diſſert. *de vera ratione Exorciſmorum Vet. Eccleſ.* Vitemb. A. M DCC XXXXVIIII.

b) v. eius *Dialog. cum Tryphone Iud.* p. 311. edit. Colon.

trare, quem quotidie paſcit c). Quid his verbis dici poteſt ſignificantius? quid Thuris in Exorciſmo vſui magis aduerſari? quid hunc ritum grauius refellere? Sed mutauit tempus priſtinam Exorciſmi, vt rerum aliarum, rationem: thusque improbatum antea, non ſine fructu eximio in eo adhiberi credebatur. Quae opinio *Exorciſtis*, vt vocabantur, in peculiarem Cleri claſſem relatis *d*), originem debere videtur. Hi enim, quam alia forte via non poterant, rituum pompa, plebis mentem facile, vt ſcimus, deliniente, ſibi conſtituere tentabant auctoritatem. Caerimoniarum itaque comminiſcebantur apparatum haud exiguum, vt *inſufflationem*, *Chriſmationem* cet. quas non parum facere iactitabant ad malos Genios eiiciendos profligandosque, et plebi harum rerum inſciae imponebant. Quod quum ita ſit, veriſimillimum mihi fieri profiteor, hoſce homines praeter inſtituta alia, vſurpare coepiſſe *ſuffitum*, cum in Baptiſmi negotio *e*), tum in aliis, vbi Spiritus maligni ſede mouendi videbantur. Hunc ex thure quidem ſolemni precum formula conſecrato, ortum quam maxime efficacem credebant ad fugandos Spiritus nequiſſimos *f*): quid? quod ob eam potiſſimum cauſam conſecrandum cenſebant, vt donaretur virtute iſta ſingulari, vt ſupra eſt oſtenſum *g*).

§. XXV.

THVRIS incenſi fumus locis etiam, vaſis, perſonisque ſacris ſingularem munditiem, exiſtimationem et ſanctitatem afferre viſus eſt. Quod quum ita ſit, non poſſum, quin paucis, quando et qua ratione Thura in hoc vſurpata ſint negotio? diſpiciam, ne quam officii mei partem deſeruiſſe videar. Exordiar autem a locorum dedicatione *ſuffitu* nobilitata. Ac primum quidem, quoniam eum ſcimus

c) lib. de *Idol.* c. XI. p. 512.

d) De eius inſtitutione incerta v. BINGHAM. *Orig. Eccl.* lib. III. c. 4. §. 1. COTELERII *Pat. Ap.* T. I. p. 410. in not. ad *Conſtitt. Apoſt.* lib. VIII. c. 26. BEVEREGIVS in *Cod. Can. Eccl. primit. vind.* lib. II. c. 2. §. 4. qui extat apud COTEL. l. c. T. II. part. poſt. p. 81.

e) v. ALCVIN. *de Diu. Offic.* p. 61. cuius verba habet FAES l. c. p. 203.

f) v. INNOCENT III. de *Myſterio Miſſae*, lib. II. c. 17. DVRAND. *Rat. Diu. Offic.* l. IIII. c. 10. GAVANT. l. c. paſſim; CASAL. de *Vet. Sacr. Chriſt. ritibus* c. XXXXI. p. 230. HOSPINIAN. l. c. lib. IIII. c. 2. p. 377. GOAR ad *Evcholog.* p. 122. qui hanc vim atque poteſtatem exinde deducit, quod σαυροειδῶς perficiendus eſt ſuffitus.

g) §. XVIII. not. k. conf. GENEBRARD dans *le Traité de la Liturgie, ou la Meſſe ſelon l'uſage et forme des Apôtres*, p. 98. vbi his vtitur verbis: *Tel eſt cet Encens, lequel eſtant beniſt à l'Autel par la priere Sacerdotale, chaſſe les malins eſprits hors de l'Egliſe, diſſipe leurs malignes impreſſions* cet.

ſcimus in inaugurandi *Byzantii a*), *templi*que *Hieroſolymitani b*) pompa non adhibitum; ſequitur, vt CHRISTI cultores ante hanc aetatem multo minus odores incenderint, ſi quam aedem, aliumue locum Deo conſecrabant in illa temporum miſerie. Quare *ſuffitio,* eo tempore facienda, ſequioris aetatis inſtitutum eſt: quam varii, variis cauſis commoti, GREGORIO M. tribuere non dubitant *c*). Fortaſſe precum, tunc fundendarum *d*), ratio perpulit eum ad ſanciendam hanc Thuris acceſſionem, §. XVIIII. Inde inſtituti mei tenendi cauſa ſcriptorum loca afferam, quae confirment odores eſſe incenſos a medii aeui Chriſtianis, templa ſolemni more dedicaturis. Solemnitatis huius ritus omnes ac ſingulos copioſe deſcribit GVIL. DVRANDVS *e*), nec minus ex IO. SLEIDANI *de ſtatu religionis et reip. Carolo V. Caeſare, Commentariis f*) RODOLPH. HOSPINIANVS *g*), quos euoluant auctores, qui curatiori iſtorum delectantur notitia. Ego meo haud peſſime perfunctus videbor officio, ſi aliis omnibus praetermiſſis, rem dedicatione Coenobii, in EVTHYMII honorem ſtructi, iuero illuſtratum. Nimirum fama miraculum in eo factum referebat. Quod quum breui totam peruaſiſſet ſolitudinem, et ad MARTYRII, qui Dioeceſeos erat Archiepiſcopus, perueniſſet aures, deſcendit hic cum multa rerum copia ad Coenobium, et praeclara ſolemnique habita Synaxi, et vigilia, ὑπὸ πολλαῖς λαμπάσι καὶ ΘΥΜΙΑΜΑΣΙ, *cum multis lampadibus et ſuffitibus*, ſplendidam ac magnificam fecit dedicationem *h*). Pari modo in Altaribus conſecrandis nonnulla Thuris grana varios in vſus conuertere oportebat, ſi legibus, quas ſancta ſimplicitas, ne dicam, ſuperſtitio condiderat, fieri debebat ſatis. Docent hoc varii harum rerum ſcriptores, quorum verba non poſſum, quin in medium proferam. *Facto ſepulcro ſeu foramine*, ſcribit DVRANDVS *i*), *quandoque ex ſuperiori parte altaris, quandoque ex latere anteriori, poni reliquias in capſella cum* TRIBVS GRANIS THVRIS, *et ſic recondi in ſepulcro cet.* INNOCENTIVS III. *Recon-*

 dantur,

a) NICEPH. lib. VIII. c. 26. ZONAR. l. XIII. c. 3. p. 6. ſ. T. II. edit. Pariſ.

b) v. EVSEB. *Vit. Conſtant.* lib. IIII. c. 43. p. 651; c. 47. p. 653. it. *H. E.* lib. X. c. 3. p. 463. SOCRAT. *H. E.* lib. I. c. 33. p. 68. SOZOMEN. lib. II. c. 26. p. 81. edit. Cantabr.

c) SPANH. *H. E. Sec. VI.* p. 1076. ſ. T. I. Opp. HOSPINIAN. l. c. p. 375.

d) v. BINGHAM. l. c. lib. VIII. c. 9. §. 2.

e) *Rational. Diuin. Offic.* lib. I. c. 6.

f) lib. XXI. p. 366. qui haec ex libro *Synodi Moguntinenſis* eo tempore habitae, excerpſit.

g) l. c. p. 377.

h) v. COTELER. *Monument. Eccleſ. Gr.* T. II. p. 305. in *vit. Euthymii*, conſ. not. ad h. l.

i) l. c. Cap. 7.

dantur, ait, *reliquiae cum* TRIBVS GRANIS THVRIS *in capſula, tabula ſuperimponitur, menſa inungitur, et quidem in ſex locis - - - poſt unctionem adoletur INCENSVM k)*. Et qui copioſiſſimus eſt in hoc deſcribendo ritu SLEIDANVS, haec habet: *Adhibetur oleum, Chriſma,* THVRIS *libra vna, ſartago cum igne, Sal, aqua, - - - poſtremo quicquid ad ornatum Altaris pertinet. Interim Epiſcopus vna cum Sacrificiis aliquot pſalmos et precationes expedit, et quinque diuerſis locis Aram reſpergit: - - - mox non ſine pompa deferuntur reliquiae Diuorum, et adhibito Thymiamate ſuo loco reponuntur. Aram poſtea ter circumluſtrat Thuribulo, quod Sacrifico deinde tradit, qui ſuffitum continenter faciat, donec peracta ſit conſecratio. Vbi vero crucibus ex oleo, diuerſis locis Aram ſignauit, oleum effundit, et inuergit, et* THVRIS *particulas quinque, totidemque cruces e cera formatas, huc illuc diſponit, easque poſt incendit l)*. Quae altaribus, baptiſteriis etiam dedicandis acceſſit thuris odorumque crematio, vt ex *Ordine Romano* docet WEDDERKAMPIVS *m*): eademque non minus coemeteriis inaugurandis addenda fuit, vt ex ALB. CASTELLANI *Pontificali*, oſtendit HOSPINIANVS *n*), et ex Caerimoniis apparet, quas obſeruandas curauit IOANNES VIII. Epiſcopus Miſnenſis in coemeterio Annaemontano conſecrando. Ille GEORGIO, Duce Saxoniae, et IOANNE filio Principe praeſentibus, obambulationem religioſam, quam Proceſſionem vocant, indicit ſolemnem, cui vel Principes modo appellati intereſſe non dedignantur. Qua vsque ad agrum iam dedicandum traducta, aqua conſecratur, certi expediuntur hymni, populusque vna cum nouo coemeterio, ab Epiſcopo, quem titularem, den Weyhbiſchoff vocant, aqua luſtrali conſpergitur. Litania, quam humi proſtrati cantant, finita, quatuor Sacrifici, in quatuor coemeterii angulis ſedentes, de ſuis ſurgunt ſedilibus, quos ſingulos, vt illud luſtrali lauent aqua, terramque ſanctam, Roma aſportatam, ibi diſpergant, obambulantes alius comitatur Sacrificus cum Thuribulo *o*). Plures obſeruant alias, quas tamen ſilentio praeterire et volo et debeo, caerimonias, quippe quae huc non pertinent, quasque L. B. ad ritus inaugurandi coemeterii *Oenipontini* effictas *p*) ex eo, quem indicaui, fonte haurire poteſt. Perſonis etiam, qui ſacris vel ipſi operantur, vel interſunt

k) in *Sermone de Conſecratione Altaris.*

l) l. et p. cit. conf. SLEVOGT l. c.

m) lib. *De Baptiſteriis Veterum* Cap. III. §. 24. p. 79.

n) l. c. p. 396.

o) v. *Chron. Annaemont.* quod vernacula noſtra, paucis abhinc annis, quidam eius oppidi Viri Cl. edere quidem coeperunt, ſed, quod coeperant opus, non ad finem perduxerunt, p. 240. 244. ſ.

p) vid. *Chron. Annaemont.* cit. p. 241.

terſunt, accidere ſolet, vt Thuris odore repleantur. Quod quum ex antecedentibus ſatis conſtet, §. XVIIII. XXI. XXII. nouis ad id confirmandum argumentis haud opus eſſe duco. Tandem *fumigationes*, ſit venia verbo, etiam in campanarum conſecratione ciere iuſſit abuſus plane exſecrandus. Quem ſaepius iam laudaui, SLEIDANVS nos de ea certiores reddit conſuetudine his verbis: *Conſimili ratione* (egerat autem de templis dedicandis) *tractantur campanae: et primo quidem ſic eas pendere oportet, vt circumire poſſit Epiſcopus. Qui - - - - poſtea pſalmos aliquot recitans campanae Thuribulum ſubdit, et SVFFITVM facit, eique bene precatur q).*

§. XXVI.

De THVRIS in Chriſtianorum funeribus vſu, mihi iam enarrando, quoniam alii, iidemque me longe doctiores Viri *a*) ſatis iam diſputare, tria tantum monebo. Nimirum TERTVLLIANVS *b*) aliique Auctores priſci, id quod primo loco dicendum eſt, agnoſcunt admittuntque eum Thuris vſum, quem modo indicaui. Grauius aliquid ſciſcam, eum ſolum, tanquam ritum communem, et probant et exercent. Nemo, his lectis, me non ſatis mihi conſtare putet, atque hic pronuntiare, quae ὑποθέσει meae §. XVII. ſtabilitae repugnant. Statim, quid mihi velim, dicam. Thuris in exſequiis vſurpandi morem, pro inſtituto habent antiquo, licito, legibusque inter omnes, qui CHRISTVM colunt, receptis non prohibito: quid? quod de eo gloriantur, eumque allegant paganorum depulſuri criminationes contra Chriſtianos diuulgatas. Alterum contra in concionibus ſuffiendi morem eo loco habere nec volunt, nec poſſunt: tum quia lege non praeſcriptus erat, vel a CHRISTI Legatis ſancitus et traditus, tum quia nec ſemper, nec forte vbique, ſed tantum, vbi neceſſitas id poſtulabat, adhiberi ſolebat, quod TERTVLLIANI verba ſatis indicare videntur. Quare huius nulla

q) l. c. p. 366. conf. ELSNER. in *recentiſſima deſcriptione Graecorum.* P. II. p. 198.

a) v. Cl. BROEMELN in Diſſert. ſaepe laudata, vbi §. XV-XXI. de eo ſcripſit; IO. ANDR. QVENSTEDT de *ſepultura Vet.* Cap. V. p. 82. ſ. et FRANZENII *Antiquit. circa funera* lib. I. c. 5. p. 79. ſ. it. lib. III. c. 6. p. 130. Praeterea quaſi aliud agentes de eodem negotio loquuntur DALLAEVS, l. c. lib. IIII. c. 13. p. 647. SPANHEM. *H. E.* Sec. III. p. 727. T. I. opp. HENR. SPONDANVS in *Coemeter. S.* lib. III. P. III. c. 11. DODWELLVS l. c. conf. *Bibl. Angl.* p. 13. aliique, quos, ſi opus eſſet, nominare poſſem.

b) *Apologet.* Cap. XXXXII. p. 361. ed. Hauercampi, quae verba ſupra dedimus §. XI. it. lib. *de Idol.* c. XI. p. 285. *de Reſurrect. Carn.* et alibi.

facta mentione, illum ſolum publice praedicant laudantque. Deinde monebo, Sabaeas merces pollinċturae potiſſimum, non raro autem et igni deſtinatas fuiſſe in funeribus Chriſtianorum *c*): Iudaeos enim, paganosue hac in re imitati ſint, perinde eſt: vtrique genti commune erat, mortuos et tractare vnguentis, et in eorum ſepultura incendere odoramenta *d*). Tandem negare non poſſum, loca Auctorum ſupra partim exſcripta, partim hic allegata, videri mihi concepta vocibus tam grauibus, tamque ſignificantibus, vt pollinċturam non ſolis Martyribus, cui fauent opinioni varii Scriptores *e*), ſed et aliis Chriſtianis communem fuiſſe, exinde colligam. Equidem facile praeuideo, fore, vt egeſtatem multorum mihi obiiciant multi, eamque in cauſa fuiſſe aiant, quominus ſumtus in Thure coëmendo facere, ſuosque vnguentis tractare potuiſſent. Sed qui eius aeui Chriſtianorum recte nouit indolem, amoremque integerrimum, quo ditiores commoti, omni, quo poterant, nitebantur ſtudio, anguſtis egenorum ſuccurrere rebus, quo vnusquisque ſingulis diebus Dominicis, ſua ſponte ſtipem apponebat, ad egenos alendos humandosque *f*): is certe non dubitabit amplius,

c) TERTVLLIANI verba §. XI. cit. vtrique fauent mori, neque de hoc, neque de illo ſolo explicari poſſunt et debent. Quae autem lib. *de Reſ. Car.* habet, valent de cadauerum vnctione. *Proinde enim*, ait, *et corpora medicata condimentis ſepulturae, mauſoleis et monumentis ſequeſtrantur.* Extat quoque locus egregius apud CLEMENTEM Alexandr. *Paedagog.* l. VII. c. 8. et alius in MINVT. FEL. *Octauio* p. 107. edit. Lugd. qui morem cadauera vngendi magis confirmat: eundemque recentiores concedunt DALLAEVS, SPANHEMIVS alii. Thuris in exſequiis incenſio apparet ex ISCHYRIONIS actione, contra DIOSCORVM inſtituta § XVIII. quae tamen ſuperſtitionem iam tum ingraueſcentem olere videtur, item ex Exſequiis IVSTINIANI A CRESCONIO CORIPPO Carmine lat. deſcriptis lib. III. v. 47. ſ. et COTELERII *Monument. Eccleſ. Gr.* T. III. p. 287. 292. et in not. p. 598.

d) de Iudaeorum pollinctura vid. *Ioh.* XVIIII. 39. ſ. *Luc.* XIII. 56. TACIT. *Hiſt.* lib. V. c. 5. §. 7. de ſuffitu facto, v. 2. *Paralip.* XVI. 16; *Ierem.* XXXIIII. 5. conf. KIRCHMANNVS *de funeribus Romanorum*, lib. III. c. 5. p. 348. vbi et DAVID. KIMCHI interpretatio ll. citt. extat. De paganorum vngendi ritu canit ENNIVS:

Tarquinii corpus pia foemina lauit et vnxit.

v. PLAVTVS in *Poenul.* prolog. v. 63. VIRG. *Aen.* lib. VI. v. 220. et de crematione Thuris facta v. PLINII *H. N.* lib. XII. c. 18. p. 668. T. I. edit. Hard. VIRG. l. c. v. 225. conf. quae OVZELIVS obſeruauit ad MINVTII loc. cit.

e) In hac haereſi ſunt BELLARMINVS teſte DALLAEO l. c. p. 651. SPANHEMIVS l. c. DODWELLVS l. c. conf. *Biblioth. Angl.* T. VI. p. 13.

f) v. TERTVLL. *Apolog.* Cap. XXXVIIII. et IVSTINVS Mart. *in Apolog. II.* ad Antonin. Pium p. 98. ſ. edit. Colon.

plius, meam calculo ſuo comprobare ſententiam: quae maius accipiet robur, ſi ea, quam de *Can. Apoſt.* III. dedi expoſitionem, §. XVII. veritati non penitus contraria eſt. Exinde enim apparet alia adhuc cauſa, cur θυμίαμα oblationis tempore apportare iuſſi fuerint primorum Seculorum Chriſtiani.

§. XXVII.

Hactenus expoſui res diuinas, ſaltem primarias, Thure incenſo ex Veterum quidem mente, nobilitandas, riteque faciundas. Pauca, quae dicam, habeo, breuibus expedienda: nimirum vt a quo? et quo ritu? peracta ſit ſuffitio, oſtendam neceſſe eſt. Alterum ſupra paſſim indicaui. Scilicet Thuribula eum in modum ducebant, vt crucis formam deſcribere viderentur *a*). Alium dabo tamen locum, qui hoc magis confirmet. Sumtus ille eſt ex IS. HABERTI Ἀρχιερατικῷ ſ. *Libro Pontificali Eccleſ. Gr.* his conceptus verbis: *Ἅμα δὲ τῷ εἰσελθεῖν τὸν Πατριάρχην, ὁ Καυστρίσιος ἔχων προητοιμασμένον τὸ θυμιατήριον, βαλὼν ἐν αὐτῷ θυμίαμα, λέγει· εὐλόγησον, δέσποτα, τὸ θυμίαμα. ὁ δὲ εὐλογῶν αὐτὸ, λέγει τὴν εὐχὴν τοῦ θυμιάματος καθ᾽ ἑαυτὸν, καὶ λαμβάνων τὸ θυμιατήριον ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ, θυμιᾷ κύκλῳ* ΣΤΑΥΡΟΕΙΔΩΣ *τὴν ἁγίαν τράπεζαν, κ. τ. λ. b*). Sed ſatis de hoc. Alterum reſtat, vt quis thura odoresque incenderit, paucis demonſtrem. Quos quidem hanc ab incunabulis ciuitatis Chriſtianae repetere nouimus conſuetudinem, ſcriptores *Sedi Rom.* addicti, SOTERIS P. R. decretum iactitant, quo ſanxiſſe dicitur, *vt nulla monacha pallam ſacratam contingeret, nec INCENSVM poneret in Sancta Eccleſia c*). Huius ferendae legis cauſam, foeminae cuiusdam e MONTANI ſchola prodeuntis, et miniſteriis ſacris ſeſe immiſcentis, attentatum fuiſſe ait BARONIVS *d*): BIANCHINI autem hanc refert, quod mulieres nonnullae, mores a SIMONE Samaritano ſuaque SELENE ſeu HELENA, vt aliis dicitur, introductos imitaturae, Sacris operari fuiſſent auſae *e*). Vtcunque ſit, et quam probabiles etiam

a) v. §. XXI. quo loco hoc oſtenſum eſt ex GAVANTO, l. c. p. 128. conf. DVRANDVS l. c. cap. 31.

b) P. IIII. *De ritibus introitus et triſagii* p. 54. In obſeruat. V. ad h. l. monet, ſolam CHRYSOSTOMI Liturgiam praecipere Thurificationem σταυροειδῶς perficiendam. Conf. Cl. BROEMELN l. c. §. vlt. vbi idem oſtendit verbis ex *Typico* SABAE allatis.

c) v. ANASTASIVS in *Vit. Pontificum* et quidem SOTERIS, T. II. p 131. edit. Rom. et BARONIVS in *Annal.* T. II. ad A. 171. n. 51.

d) l. c.

e) in *not. hiſtoricis* ad ANASTASII l. c. quae ibidem extant p. 134.

etiam huius legis afferant cauſas, mihi tamen fidem haud faciunt: nam verba ipſius ita ſe habent, vt eam falſam et ſuppoſititiam eſſe, non ſolum ſignificent, ſed prodant etiam. Quodſi enim Moniales aliqua re interdici debebant, vt iam tum in Eccleſia exiſterent, oportebat. Quis autem eſt, qui SOTERIS aetate earum nomen ac ſocietatem, res plane incognitas, plane inauditas fuiſſe ignoret? Quem poſteriore loco nominaui, BIANCHINI ipſe hoc negare nequit: quo tamen lectoribus fucum faciat, eam appellationem ex Catalogi ſecundi phraſibus, a Bibliothecarum cuſtodibus in hanc Sectionem ait translatam, deleta voce, olim ibi extante. At ſi haec argumentandi, ſeu potius coniiciendi valeret ratio, nonne pari iure totam legem ab alio ſcriptam, SOTERISque nomine editam ſtatuere poſſemus? quidni? Ego ſane nihil video, quod me, cur illi maiorem, prae mea, veritatis ſpeciem tribuam, mouere queat. Cui accedit, maiusque rei pondus addit, quod *ſuffitus*, qua pars erat cultus DEO O. M. praeſtandi, SOTERIS tempore nondum in conſuetudinem venerat, vt ſupra dilucide expeditum fuit, §. XVI. ideoque Pontifex nullam, cur eum vlli interdiceret, habere poterat cauſam. Quod quum ita ſit, nihil ex hoc decreto probari poteſt et debet, re omni ad conſuetudinem legesque honeſti redeunte; quae Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos immo et Acolythos ſuffitionem facere iuſſerunt *f*). Vnum habeo, quod moneam. Nimirum non is ego ſum, qui, quem hactenus deſcripſi Thuris in Chriſtianorum Sacris vſum, omnibus Eccleſiae coetibus, ac pari vbique ratione obſeruatum contendam: diuerſam temporum locorumue conditionem varia interdum produxiſſe diſcrimina, non credo ſolum, ſed etiam prae me fero. Interea tamen iure quodam meo aſſeuerare auſim, Seculis mediis huius caerimoniae rationem, in maxima Eccleſiarum parte, fuiſſe talem, qualis a me expoſita eſt, argumentisque corroborata. Reſtant fata enarranda, quae iam inde a Sacrorum emendatione, B. LVTHERI miniſterio

f) v. §. XVIIII-XXV. conf. DVRANDVS l. c. lib. V. c. 9. Singulare factum eſt, quod de Imperatoribus tradit CODINVS. Ait nimirum illos, die coronationis, antequam communicarent, feciſſe thurificationem, eandemque (barbare loqui liceat) cruciformem. Verba eius haec ſunt: *εἰσέρχεται ὁ βασιλεὺς μετὰ τῶν διακόνων εἰς τὸ ἅγιον βῆμα, καὶ λαμβάνων τὸ θυμιατήριον, θυμιᾷ τὴν ἱερὰν τράπεζαν* ΣΤΑΥΡΟΕΙΔΩΣ· *πρῶτον μὲν κατὰ ἀνατολὰς, εἶτα πρὸς ἄρκτον, ἔπειτα πρὸς ἑσπέραν, καὶ μετὰ ταῦτα πρὸς μεσημβρίον. εἶτα πάλιν πρὸς ἀνατολὰς θυμιῶν θυμιᾷ καὶ τὸν Πατριάρχην.* V. HABERT. l. c.

ſterio facta, expertus eſt ritus, de quo hactenus diſputaui: quorum expoſitioni eo magis aliquantum temporis operaeque tribuendum exiſtimo, quo ſcio certius, eam non ſolum neceſſariam, verum etiam B. L. pergratam eſſe futuram. Quocirca veram eius faciem, e recentiſſimis ſcriptoribus effictam, eandemque, qualis hodie in praecipuis reip. Chriſtianae familiis cernitur, hic ante oculos ponam, cauſas ſimul allaturus, cur aliis ſeruandus videtur, aliis iure meritoque antiquatus.

§. XXVIII.

Pro *ſuffitu* in Sacris faciendo militant et *Graeci* et *Romani*: idque eo vehementius, quo magis ſibi perſuadent, hunc ritum eſſe ab Apoſtolis ſancitum atque traditum. Illi *Iacobaeam* quam maxime iactitant Liturgiam *a*); hi *Petrinam* aliasque. Quarum auctoribus hunc morem praecipientibus, nefas habent, vllam fere Sacrarum peragere rerum, quam Thure incenſo non reddant magis illuſtrem. Priorum Sacris intereſſe mihi licuit, quae eo tempore ex CHRYSOSTOMI praeſcripto celebranda, ſemel iterumque vidi Thure nobilitari oportere. Namque hoc incendendum erat, in ipſis eorum auſpiciis *b*): vbi Pſalmi poſt introitum, quem vocant, expediebantur, quo tempore Sacerdos, ſumto thuribulo, in concione obambulans, ſingulos, qui adſunt, eius replet odore *c*): idem Sacerdos, ſacris veſtibus indutus, vaſa ſacra ſuper πϱοϑέσει *d*) rite collocauit *e*): Euangelium praelegitur, cuius etiam codex terque quaterque thuris honore eſt mactandus: *Miſſa fidelium*, vt dicitur, inchoanda funduntur preces, inſtituiturque εἴσοδος μεγάλη *f*): eaque

a) Omnino quadruplex eſt Liturgia, quam diuerſis quidem temporibus ſequi ſolent Graeci in Sacris faciundis, nimirum *Iacobi*, *Gregorii*, *Baſilii* et *Chryſoſtomi*: id quod docet, diesque, quibus ſingularum praeſcripta obſeruantur, diligenter deſignat RICAVT in *the preſent State of the Greek Church* Cap. XVI. p. 317. ſſ.

b) v. GOAR ad *Euchοlog*. p. 2. ELSNERVS *in recentiſſima deſcriptione Graecorum ſub Mohamedanorum imperio degentium*. P. II. cap. 6. p. 350. et *Acta Hiſtorico-Eccleſ*. P. L. p. 183.

c) v. *Acta* modo laudata, it. ELSNER. l. c. P. I. c. 6. p. 282.

d) Vox deſignat menſulam τῇ ἁγίᾳ τϱαπέζῃ appoſitam, v. RICAVT l. c. p. 190. et ELSNER. l. c. p. 306.

e) v. *Acta* cit. p. 187.

f) Ita vocatur pompa, vbi Diaconus et Sacerdos, ille quidem cum patina panem ſacrum continente, capitique impoſita, hic autem calicem vtraque manu verſum pectus tenens, incedere ſolent, comitantibus ipſos variis Diaconis, thuribula manu geſtantibus. v. ELSNER. l. c. p. 237. ſ.

que finita, Sacerdos populo impertitus eſt benedictionem *g*). Neque minus ſuffimenta cremant Graeci in exſequiis *h*), Miſſa pro defunctis, quorum fumus praecipue comitatur preces pro demortuo faciendas, vt mihi hic loci obſeruatum eſt, atque pompis illis ſolemnibus, quarum vna eſt Veſpere feſtum Paſchatos antecedente, quo Eccleſiaſtici Graeci, et Armenii Copticique, accenſis cereis tendunt ad S. Sepulcrum, ter circumeundum *i*) cet. altera ipſo feſto Paſchatos, quo depictam reſurrectionis CHRISTI hiſtoriam in templis, non ſine inſigni laetitia circumgeſtare ſolent *k*). Ceterum vt Sanctorum imagines Thuris honore non priuant *l*), ita nec *τὴν ἁγίαν τϱάπεζαν*, et *ἀντιμίνσια m*) ſine eius odore conſecrant *n*): quin etiam Altaris lauatio, quinta maioris hebdomadae ſuſcipienda, absque illo abſolui nequit. Antequam enim vela aut exui poſſunt altari, aut abluto indui, Patriarcha ſuffitum faciat, oportet *o*). Sed ſatis de hac: ad Latinam pergamus familiam, de qua idem eſt dicendum. Quamuis enim mores varios, quondam introductos, poſt Reformationis tempora, aut neglexerint Romani, aut ſaltem emendauerint, tantum tamen abeſt, vt de hoc cogitauerint antiquando, vt potius ſubinde conſilia inierint eius magis magisque ſtabiliendi. Teſtor *Synodum Moguntinenſem* poſt ea tempora habitam *p*), *Conciliumque Tridentinum*, cuius Patres de eo, tanquam ritu Apoſtolico ſeruando, non decreuere ſolum, §. XVI. not. d. verum etiam tela in eos mittere minati ſunt, quos viderent, de ritibus in ſua Miſſa vſitatis, aliter eſſe ſenſuros, ac ipſi pronuntiaſſent *q*). Quo et decreto et Anathemate ſancitus, ac veluti ſacro vallo munitus, tam altas, tamque firmas in eorum Sacris egit radices, vt coetus *Sedi Rom.* addicti eum nullo modo impugnare, nedum penitus abrogare audeant. Quid? quod in omnibus fere diuinis officiis adeo ſaepe frequenterque vſurpatur, vt MIDDLETONVS, harum rerum teſtis *αὐτόπτης*, haud perperam iudicet, fieri non

g) v. *Acta* cit. p. 187.

h) v. RICAVT l. c. p. 295. ſ.

i) v. ELSNER. l. c. p. 288.

k) ibid. p. 310.

l) ibid. p. 188. RICAVT l. c. p. 321.

m) quae ſunt linteamina, loco *τῆς ἁγίας τϱαπέζης* vſurpanda.

n) v. ELSNER. l. c. p. 304. et HABERT. l. c. p. 649. ſſ.

o) v. HABERT. l. c. p. 652. 655.

p) Haec in libello ſingulari, ea occaſione compoſito, multa de hoc praecepit ritu, vt oſtendi §. XXV. duce SLEIDANO l. c. lib. XXI. p. 366. ſſ.

q) v. PAVLLI ANTONII *doctrina publica Concil. Trident.* Seſſ. XXII. p. m. 154.

non poſſe, quin peregrinus, vt limina templorum ſalutauit, ſtatim Thura ibi incenſa perſentiſcat, eorumque odore repleatur *r*). Ingreſſuris obiiciunt primaria eorum templa numerum haud exiguum vti altarium, ita et Sacrificorum: quorum illa odoramentis halant dulciſſimis ſuauiſſimisque; hi thuribula, a puero ſibi adſtante, tradita, miris modis, mox ſuper, mox circum altaria ducunt, quo varii cultus diuini actus rite peragantur *s*). Quorum numero accenſenda eſt Miſſa, templorum altariumque conſecratio, inceſſus, quos vulgo proceſſiones vocant, alia: quae omnia quum ex dictis facile intelligi, vel ex eorum ſcriptis Liturgicis *t*) ſine negotio hauriri, immo vbique fere locorum obſeruari queant, oleum operamque mihi viderer perdere, ſi eis omnibus ac ſingulis enumerandis inhaerere vellem.

§. XXVIIII.

Duplicem claſſem conſtituunt reip. Chriſtianae ciues, qui morem Thura odoresque inSacris incendendi, iure antiquatum ſtatuunt. Quinam illi ſint, vnusquisque, vel me tacente, perſpicit: cauſae, quibus commoti ita ſentiant, mihi paucis ſunt exponendae. Atque illi quidem, quos *Reformatorum* nomine ſcimus potiſſimum delectari, quum ritum, quantumuis antiquum atque ἀδιάφορον, non putent rectum ſeruandumque, niſi qui Legatis CHRISTI vſurpatus ſit, eorumque moribus conueniat, quid ſtatuere poterant de ſuffiendi conſuetudine, ab Apoſtolis haud praecepta, §. XVIII. ſed Idolorum cultoribus, vt multis videtur, repetita *a*)? quodnam fatum aliud, praeter aeternum exilium, poterat ab iis expectare inſtitutum inutile, ſuperſtitioſum, Pontificiis vſitatum? Quae argumenta quum vel Britannis, multa patrum priſcorum inſtituta ſeruantibus, tam grauia viſa ſint, tamque ponderoſa, vt hunc morem in ſuis Sacris abrogandum putarent, vti apparet ex DODWELLI

 epi-

r) v. Eius *Letter from Rome, ſhewing an exact Conformity betwixt Popery and Paganiſm:* or, *the Religion of the preſent Romans, derived from that of their Heathen Anceſtors.* Quae literae aliquoties prodierunt et auctae, et Gallice Germaniceque verſae. conf. verſ. Germ. p. 15. ſſ.

s) V. MIDDLETON l. c. p. 17. it. ELSNER. l. c. P. II. p. 214.

t) Multa paſſim iam iam nominaui; plura qui quaerit, adeat CHR. MATTH. PFAFF. in *Diſquiſ. de Liturgiis, Miſſalibus, Agendis et Libris Eccleſiaſticis*, p. 42. ſſ.

a) Hoc ſibi perſuadent MIDDLETON l. c. ELSNER l. c. P. I p. 283. et P. II. p. 350. PICTET dans *les Conformitez des Ceremonies modernes avec les anciennes* p. 72. aliique, quos in praefatione ſua enumerat, qui MIDDLETONI literas Germanice vertit.

epiſtola ſupra allegata, §. VIII. ſub fin. quanto magis ad id faciendum impellere debebant illos *Synodi Dorderacenae* amicos, qui cuiuscunque fere ritus aduerſarios ſe eſſe non obſcure indicant? Quare non eſt, cur horum, de Thure in Sacris ſpernendo decretum valde miremur. Conſimili modo ceſſauit in Sacris *Proteſtantium* Thuris vſus. Qui quanquam ἀδιαφόροις *b*) accenſendus videbatur ritibus, quos ſine peccato ſeruari poſſe, nec temere abrogandos putabant pii Maiores *c*): tamen a cultu diuino eum abeſſe iuſſerunt. Ad quam legem ferendam ſtabiliendamque non leue momentum habuiſſe arbitror auctoritatem B. LVTHERI, qui in duplici libello, nimirum de *Captiuitate Babylonica,* A. MDXX. ſcripto, et de *Formula Miſſae et Communionis pro Eccleſ. Vitemberg.* ad D. NICOL. HAVSMANNVM, Sacrorum apud Cygn. Praeſuli, A. MDXXIII. dato, ſatis ſignificauit, ſe odorum in Sacris incenſionem, ſi non ſpernere abominarique, ſaltem nec amare, eique patrocinari. Priori enim loco e Sacramento Euchariſtiae eiicienda cenſet ornamenta, hymnos, cereos, omnemque rerum externarum pompam *d*). Atque huius partem non vltimam efficiebat ſuffiendi mos: hunc igitur eis verbis e ciuitate Chriſtiana *Proteſtantium* proſcripſiſſe eſt exiſtimandus. Poſteriori autem, improbatis denuo externis veſtium, vaſorum, cereorum, cet. in cultu diuino additamentis, caerimonias non niſi ſanctas caſtasque obſeruare iubet, et Miſſae Canonem in poſterum omnino ſpernere: tandemque de praelegendo Evangelio praecipiens, cereorum quidem, *odorum*que facit mentionem, ſed eos ea occaſione incendere nec vetat, nec commendat, ſatius ducens, rem cuiusque permittere arbitrio *e*). Quod, ſi quid iudico, ſatis teſtatur, B. puriorum Sacrorum Reſtitutorem de more, quem hactenus expoſui, non admodum praeclare ſenſiſſe, huncque antiquari, quam ſtabiliri, maluiſſe. Eius itaque tum auctoritate, tum argumentis moti, Maiores omnem Thuris in Sacris faciundis vſum penitus neglexere, adeo, vt nullum eius extare videamus veſtigium. Idque iam ante A. S. R. MDXXV. decur-

b) v. *Aug. Confeſſ.* p. 13. 28. ſſ. eius *Apolog.* p. 205. 208. *Epit.* p. 615. eius *Declarat.* p. 789. ed. Rechenb.

c) v. *Aug. Conf.* p. 13. et 31. eius *Apolog.* l. c.

d) v. LVTH. Opp. T. XVII. p. 521. edit. Lipſ.

e) v. eius Opp T. II. p. 556. edit. lat. Ienenſ. Verba haec ſunt: *Sexto ſequitur Evangelii lectio, vbi nec candelas, nec THVRIFICATIONEM prohibemus, ſed nec exigimus: liberum eſto.* Idem libellus a D. P. SPERATO Germanice conuerſus extat T. III. Opp. p. 333. ſ. edit. Germ. Ien.

decurſum ſentio ab ipſis factum. Lex illa *Nouae Conſtitutionis Eccleſ. Cathedr. Vitemberg.* quam Canonici, antiquorum rituum tenaciſſimi, non niſi repetitis LVTHERI *Senatus*que *Vitemberg.* literis compulſi et quaſi coacti, D. XXIIII. Dec. A. MDXXV. ſanxerunt, quaque *ſuffitum,* tanquam puerilem caerimoniam penitus prohibuere *f*), ea, inquam, in cauſa eſt, cur ita ſentiam. Quum enim in hoc negotio certe imitati ſint aliorum Euangelicorum inſtituta, neque primi Thuris in Sacris incendendi oſores facti: ſequitur, vt *Proteſtantium* coetus, ante hanc legem promulgatam, non amplius ſeruarint morem, quem per tot Secula ſine Apoſtolorum exemplo praeceptisque in Eccleſia vſurpatum vidimus. Paucis annis poſt de eo antiquato gloriatur LVTHERVS. Sic enim ſcribit in *Catechiſmo Mai.* et quidem *Concluſione Decalogi: Ibi* (ſcilicet apud Pontificios) *thura incenduntur ac thymiamata, ibi pulſatur et cantillatur g*), aliaque commendantur opera mere humana: non autem, vt apud nos, diuini Decalogi vera exponitur ratio, nec quoque laudantur opera, humilia quidem illa, ſed a Summo Numine ipſo praecepta, hominibusque praeſcripta. Quae quum ita ſint, neminem futurum puto, cui epocham, qua Thura in *Proteſtantium* Sacris abrogata dixi, male determinaſſe videbor. Moliebatur quidem, vt aliorum, ita et huius ritus, reſtitutionem et exercitium VALENT. TEVTLEBIVS, *Hildeſ. Epiſcopus h*), cui poſt ſuffragati videntur Formularum, quas *Interim* vocant, auctores *i*): nec dubium eſt, quin illi *Proteſtantium,* quibus vi metuue compulſis nil niſi parendi gloria erat relicta, iure quaſi poſtliminii eum in Sacra ſua redire et exercere iuſſerint *k*): at ſedatis eius aeui turbis, et parta per *Transactionem Paſſauienſem,*

f) v. Opp. LVTH. T. XVIII. p. 495-503.

g) v. *Lib. Symb.* p. 482. edit. Rechenb.

h) De motibus conſiliisque acerrimi huius Proteſtantium hoſtis vid. SECKENDORF. in *Comment. de Lutheraniſmo* Lib. III. Sect. 31. p. 547. qui ex eius libello MSto, poſt Comitia A. MD XXXXV. Spirae habita, confecto, Imperatorique dicato ea excerpſit, quae notatu quam maxime digna viſa ſunt.

i) Verbis quidem conceptis de Thure nil praecipiunt: ſed qui Cl. BIECKII Comment. *de triplici Interim,* et quidem *Ratisb.* Art. XVIIII. p. 244. 259. *Auguſtan.* Art. XXVI. p. 382. ſſ. *Lipſienſ.* p. 382. cum cura legerit, vel THVANI, SLEIDANI aliorumque, qui nil niſi Papatum ea ratione introductum iri ſcribunt, probe ponderauerit iudicia, mihi facile adſentietur.

k) Idem feciſſe videntur Theologi Miſnenſes, qui in ſolemni Formula, cui *Interim Lipſ.* nomen eſt, decreuerunt, vt Miſſa in poſterum peragi debeat campanarum ſonitu, candelis, vaſis, veſtibus ac caerimoniis adhibitis. v. BIECK. l. c. p. 382. qui p. 152. ſcribit: *Hoc potiſſimum modo effecerunt Theologi,* quos dixi, *Miſnenſes, vt Miſſa Pontificia - - denuo probata re-*

*uienſem, Pacem*que *Religioſam* omnimoda libertate, eam denuo, quam ante, vbique induit faciem Eccleſia, emendatis Sacris addicta. Atque iam inde ab hoc tempore *Proteſtantes*, quos quidem ſcio, omnes, praeter *Hildeſiae* et *Aſcaniae* ciues *l*); illosque, quorum Sacris Cl. CALVOERIVS olim praefuit *m*), ignorare conſuetudinem, de qua hactenus diſputaui. Vnusquisque noſtrum non immerito mecum laetatur, nos diuinis oraculis ita eſſe eruditos, vt non *grana thuris vnius aſſis, Arabicae arboris lacrymas, ſed orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam*, Deo gratum thymiama eſſe ſciamus. Τούτῳ τοῦ παντὸς δημιουργῷ καὶ Πατρὶ, ὃς οὐ δεῖται αἵματος, οὐδὲ κνισσῆς, οὐδὲ τῆς ἀπὸ τῶν ἀνθῶν καὶ θυμιαμάτων εὐωδίας, αὐτὸς ὢν ἡ τελεία εὐωδία ἀνενδεὴς καὶ ἀπροσδεὴς,

Η ΕΥΛΟΓΙΑ ΚΑΙ Η ΔΟΞΑ ΚΑΙ Η ΣΟΦΙΑ ΚΑΙ Η ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ ΚΑΙ Η ΤΙΜΗ ΚΑΙ Η ΔΥΝΑΜΙΣ ΚΑΙ Η ΙΣΧΥΣ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΙΩΝΑΣ ΤΩΝ ΑΙΩΝΩΝ. ΑΜΗΝ.

ciperetur. Quod ſi factum eſt, non potuere non ſuffitum ſimul adhibere. v. §. XVI. XXI. XXVIII.

l) de vtriusque ciuibus comperi, quod in Sacris matutinis, illi quidem, ſingulis diebus Dominicis pariter ac feſtis, poſt praelectam Evangelii pericopam, ab aeditimi famulo, quem vocant; hi autem primo quoque Natiuitatis Chriſti, et Paſchatos die, captis Sacrorum auſpiciis, a ſuperiore aedis cuſtode, per totum templi ambitum thura incenſa circumgeſtari patiantur: ſed, verbis loquar TERTVLLIANI, nec eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo apud Pontificios.

m) v. eius *Rit. Eccleſ.* P. I. lib. II. Sect. 2. c. 93. vbi ſcribit: *Vnde quod apud nos ANTE CONCIONEM, ſiue in MISSA, ceu vocant, CATECHVMENORVM incenſum adoletur, priſco mori haud eſt conſentaneum, ſed ex Rom. ritu id dimanauit.* Num vero recte ſenſerit Vir Doctiſſ. aliis, vt diiudicent, relinquam. Qui argumenta mea §. XVI. ſſ. allata ponderat, Cl. Viri ſententiae ſubſcribere iure meritoque dubitabit.